INTERPELLATIONIS
NECESSARIÆ
AD
Meditationes
JACOBI TRIGLANDII
DOCTORIS & PROFESSORIS
THEOL. LEYDENSIS
IN
Opiniones Variorum
DE

VOLUNTATE DEI, GRATIA VNIVERSALI ET SCIENTIA MEDIA,

DISSERTATIO PRIMA

QVAM
Gratia DEI prosperante
PRÆSIDE
JOH. GEORGIO DORSCHEO
SS. Th. D. & PP.
IN
Illustri Argentoratensium Universitate
solenniter tuebitur
Mense Ianuario d.
STEPHANUS SCHÜSSLERUS
Rauschenbergensis.

Bibliothek d. Ev. theolog. Landesseminars Herborn (Nassau)

ARGENTORATI,
Typis JOHANNIS-PHILIPPI MÜLBI,
ACADEMIÆ TYPOGRAPHI,
M. DC. XLV.

INTERPELLATIONIS NECESSARIAE

ad

Meditationes

Iacobi Triglandij Doctoris & Professoris Theolog. Leydensis

in

Opiniones Variorum

DE

Voluntate Dei & Gratia Universali, scientiâque mediâ,

Procœmium.

PLurimis ab hinc annis Contra-Remonstrantes in Belgio, qui Concilij Nationalis Dordraceni decretis omnes alios à veritatis divinæ possessione exclusisse sibi diu videbantur, sub *Remonstrantium* nominibus etiam nostrarum Ecclesiarum de *Prædestinatione, reprobatione, gratia, merito Christi & perseverantia sanctorum* sententias conculcarunt. Quanquam enim sciverunt, nos *Remonstrantium* dogma-

tibus plurimis contradicere, attamen ex re sua fore judicarunt, si, postquam vehementibus scriptis *Arminianissmum*, forte non injuriâ, orbi exosissimum suspectissimumque fecerunt, etiam nostras sententias passim interspergerent & communi contaminarent infamia. Profectò postquam olim nostrorum in hac cœlesti militia antecessorum pro veritate sempiterna felicissimas pugnas contra *Calvinum, Bezam, Piscatorem* & similes alios conspexerunt, nunc tanquam in agmine Arminianorum positos ostendunt & traducunt, ut veteris triumphi obscuretur gloria & memoria. Hinc connumeramur inter eos, qui *humana pravitate ducti & fraude diabolica illecti, in ipsum Evangelium, in sacrosanctam de eminentissima, ex qua hominis perditi salus ac restauratio oritur, gratia doctrinam sese ingerunt, eamque pessimè adulteratam propinant: qui, ut malum pravarum opinionum tegant & boni specie obvelent, ne fœda ejus nuditas ab ijs, qui non omni carent judicio, agnoscatur, gratiam quandam universalem sibi imaginantur, qua Deus ex naturali quadam in homines etiam peccatores propensione omnibus omnino sine exceptione velit salutem, omnibus dederit Filium suum in Mediatorē & Redemptorem &c. ut quivis putet, ampliſsimam hic ab illis exhiberi & doceri gratiam; ut quivis prima fronte æstimet, sic quam maximè consuli divinæ gloriæ, gloriæ inquam bonitatis illius ac misericordiæ.* Latere autem *anguem in herbâ; Liberum scilicet arbitrium sub pulchro velamine gratiæ divinæ, & fingi talem gratiam, quæ sit humano arbitrio obnoxia, quæ efficaciam suam exhibeat, sine potiatur & effectum sortiatur suum, ubi hoc permittit, vult & efficit hominis corrupti arbitrium: secus hoc nolente, non admittente, aut refragante, irrita prorsus sit & frustranea. Hanc gratiam nihil esse nisi larvam satis speciosam, aut fucum quendam deformi & detestando liberi in ho-*

Ad Præfationem Meditationum Triglandij de gratia,

in homine peccatore & corrupto arbitrij vultui obductum, ne illius conspectu, qui aliquem in corde gerunt gratiæ divinæ sensum, terreantur & retrocedant. Nihil enim arrogantiori cum audacia homini tribui posse, quam ut gratiam adeò eminentem, gratiam paternæ miserationis, gratiam fraternæ redemptionis, gratiam supernæ spiritualis vocationis, insignem illam & admirandam Dei Patris, Filij & Spiritus Sancti operationem sibi habeat subiectam, eamque intercidere & fine suo frustrari queat? Nos non statuisse, *de voluntate Dei judicandum ex ipsa Dei natura, pro ratione infinitatis, æternitatis, immutabilitatis, summæque sapientiæ & potestatis ejus, sed confugere ad distinctiones quasdam futiles & ineptas è scholasticorum sophistarum lacunis haustas & humano ingenio atque naturæ prorsus accommodatas, utque illis majori vestiremus veritatis specie locis quibusdam sacræ scripturæ perperam & nefariè abuti, in quibus de Deo & voluntate ejus accommodatè ad captum nostrum scriptura loquitur, & de desiderio quodam Dei, voto, expectatione, spe & similibus sermonem facit, in quibus cum veteres impropriam quandam locutionem, quæ ἀνθρωποπάθειαν dici solet, quæ proinde & θεοπρεπῶς intelligi deberet, pro ratione jam indicatorum Dei attributorum, nos tamen ad commentitias illas nostras distinctiones de voluntate absoluta & conditionata, antecedente & consequente, quibus Deus instar hominum extrinsecus moveri & in multis in dubio hærere dicitur, donec ex eventu colligat, quid faciendum sibi sit, imprudenter decorandas & stabiliendas adhibere.* Sunt ista satis amarulenta dicteria, quibus tracti in societatem intolerabilem lacessimur & vellicamur. Nos sanè vehementer dubitamus, licet nullus dubitet Triglandius, *quod veritatem ubique sincerè & sobriè proposuerit.* Id verò omnino credimus, *majori cum dexteritate id præstari potuisse, quod promisit ille.* Ut persuasionis hujus meæ documenta

menta extarent, interpellationem necessariam meditationibus virulentis interponere visum fuit. Si non Triglandio, veritati tamen meum comprobabo studium, dum illius adversus hanc impetu utor ad adornandas vindicias, quas gloriæ gratiæ Dei debeo. *Quamvis enim humani ingenij arrogantia & pravitate,* (sumo verba Triglandij) *ex qua veritatis divinæ impugnatio oritur, delectari non possim, nec debeam: gaudere tamen mihi licebit occasione, quam ille præbet importunitate sua, divinam veritatem & stabiliendi firmius & declarandi luculentius. Divina enim veritas suis nixa viribus immota perstat, nullis cedens insultibus, nullis succumbens oneribus; imò quo impetitur vehementius, eò insurgit alacrius: quoque crebriores ac densiores nebulæ lumen ejus obscurare nituntur, eò lucidioribus micat radijs, quibus totum earum agmen etiam densissimum perrumpit.* Itaque cum BONO DEO ad rem ipsam accedemus.

SECTIONIS PRIMAE
CAPUT I.
De Voluntate Dei ejusque obiecto & distinctionibus.

§. 1. GRavissimam de VOLUNTATE DEI disceptationem, Triglandi, meditabundus aggrederis. Utinam voluntas tua non opinionibus præconceptis mancipata quidvis potius arriperet, quo se tueretur, quam ut ad voluntatem optimi maximi Numinis sese componeret. Voluntas *perfectionem* dicit *simplicem* & omnibus repurgatis imperfectionibus tantam, ut summo BONO sine repugnantia tribui possit. Itaque eo modo exponenda est, cum absoluto supremoque enti tribuitur, ut cæteris perfectionibus, sapientiæ, bonitati, veritatique consentiat. *Summa sapientia* requirit voluntatem, tum sui ipsius, qua suam sapientiam

Deo Voluntas ut perfectissimè tribuitur.

am ſummum Ens vult amatque, tum cæterorùm intra atque extra ſe ordinatorum, in quibus ſummum Ens ſuam *Vult* pulchritudinem conſpici. *Summa bonitas* requirit voluntatem, quæ ſe ſumma dulcedine incomprehenſibilis perfectionis fruatur, & cum cæteris fœcunda diſpenſatione communicet. *Summa veritas* voluntatis regula eſt, qua fit, ut ſibi ubique conſentiat. Voluntas divina Deum, ut ens ſummum, infinitum, optimum, perfectiſſimum primò vult. Et hoc pacto ſeipſam quoque vult, velut ſummam perfectionem. Eadem deinde vult *decreta de actibus in tempore edendis, permittendis, dirigendis, diſpenſandis libera*, & ipſos actus, quos in ſimpliciſſima illa ſua æternitate, ad quam univerſa temporis diſtantia vix momentum eſt, habet præſentiſſimos. Nec ſimplicitatem eſſentiæ divinæ lædit, quod illa æquipolleat omnibus perfectionibus, & tum potentia dicatur ſumma, tum intellectus ſummus, tum voluntas ſumma. Omnis namque perfectio abſoluta in eſſentia divina eſt.

§. 2. *Ad pag. 1, & ſeqq. Trigland. Medit. de Voluntate Dei.*

Seponis autem *Voluntatem Dei*, prout fertur in ipſum ſummum & infinitum divinum bonum. De ratione, quam adfers, tecum non diſquiro. Conſideras voluntatem Dei, *occupatam in dilectione Dei, ut ſummi & primi, ſumma bonitate, potentia, ſapientia, juſtitia, miſericordia inſtructi, quæ in productione & gubernatione creaturarum exhiberi poſſent, &c. vel in executione; illam decernentem, hanc operantem & efficientem* vocas; *ſecundum hanc operari Deum, hanc cum potentia omnium ejus actionum ad extra cauſam eſſe ac originem*; hanc *habere pro obiecto & actiones Dei, ut creationem, conſervationem, directionemque creaturarum, & creaturas ipſas & earum actiones, ut effecta actionum & operationum Dei*: hanc *non malè voluntatem Dei omnipotentem dici, quia per infinitam Dei potentiam omnia ſua efficit*; dici *& efficacem, ut quæ à nemine impediri poteſt, ſed effectum ſuum ſemper ſortitur*; dici *& arcanam, quia quamvis ſciatur, quod ſit, neſcitur tamen, quid Deus hac ſua voluntate in effectum deducere velit, niſi quod inſignia quædam opera ſalutis noſtræ & impiorum perditionis, ad hanc voluntatem ſpectantia, verbo ſuo nobis revelavit & eventus voluntatem illam paulatim indies manifeſtat: hanc eſſe voluntatem beneplaciti, quæ & univerſalis dici poſſit, quæ omnes omninò velit & per potentiam producat Dei actiones circa omnes in univer-*

sum creaturas, omnesque earum omnium operationes, ut effecta a actionibus Dei promanantia.

§. 3. *An voluntas Dei etiamsit ad ea, quæ pervicaci renitentia hominum interveniente non existunt?*

Ponderemus hanc philosophiam paulo exactius! Est omninò voluntas in Deo de ijs, quæ in tempore extitura sunt, æterna. Est autem etiam voluntas eadem in Deo etiam ad ea, quæ *renitentia pervicaci hominum* non existunt, existere tamen possent, nisi ordinis divini vigorem repelleret exundans malitia. Pertinet enim hoc ad infinitatem bonitatis, sapientiæ, & justitiæ Dei, ut se pluribus communicare Deus voluerit gratiosæ charitatis dispensatione, quam reipsa fit; sicut cum de voluntate Dei erga creaturas rationales tractabimus, probabimus. Itaque *voluntas decernens* in Deo quidem ad reipsa existentia in tempore fertur, non tamen ad illa sola, sed ad amplitudinem beneficiorum, quæ diffusurus fuerat in eos, qui pereunt, nisi pereundi necessitatem sua sibi perversitate attraxissent. Omninò enim decrevit Deus secum, quid facturus fuisset, si hæc illi non fecissent, propter quæ perierunt. Hanc Christus vocat voluntatem, seu θελὴν potius, quæ ab humana ἀθετήσει impeditur, *Luc.* 7. *v.* 30. Malè itaque post voluntatem Dei, qua ille & seipsum & omnia in se vult, & in se fertur ut summum atque infinitum bonum, collocas voluntatem Dei, qua præcisè ea duntaxat decrevit, quæ in creaturarum productione, conservatione & gubernatione reipsa comparitura sunt. Debuisses prius exponere illam amplissimam, sanctissimam, sapientissimamque voluntatem, qua Deus erga creaturas, in primis rationales, sese exhibere ab æterno decrevit, ante quam & apostatarum angelorum & protoplastorum hominũ determinatio ad lapsum prævisa erat. Ordinem enim in decretis & prævisionibus divinis omninò etiam agnoscis, Triglandi. Quorsum namque collocas prævisionem lapsus? Ante creationis in tali & tali perfectionis gradu prævisionem? Itaque antequam creandæ ptæviderentur creaturæ rationales, jam lapsuræ prævidebantur. Unde autem lapsuræ? Nam excidentia gradum dandæ consistentiæ prærequirit. Anne prius dejicere in miseriæ barathrum creabiles ad huc rationales creaturas decrevit Deus, post in eminentiæ istum gradum, quem in tempore aliquandiu tenuerunt, ponere, ut inde decernente & operante voluntate Dei dejicerentur? Si post creationis

tionis creaturarum rationalium in tali & tali gradu perfectionis prævisionem; jam ergo decrevit Deus hunc & hunc perfectionis gradum reipsa cum creaturis istis communicare & quæ ad gradum istum rectè sapienterque constituendum pértinent. Jmò & in alias creaturas, quæ πλὴν τῆς φθορᾶς δουλείαν ex generis nostri defectione contraxerunt, aliter suam dispensare bonitatem omninò decreverat Deus, quam ex lapsus præscientiâ ordinavit. Gen. 3, 17. Hæc igitur amplissima voluntas, qua summa & immensa bonitas sese quam maximè tuetur, primùm expendenda fuerat.

Deinde in executione ad diversam rationem voluntatis Dei decernentis processus divinus accomodandus est. Executio enim § 4.
alia est in ijs, quæ simpliciter à Deo volita sunt, alia in ijs, quæ cum conditione. Alia executio est *in permissionibus* divinis, alia *in operationibus* divino beneplacito conformibus; Sed hoc infra considerandum erit. Illa ipsa voluntas, quæ ab æterno decrevit, exequitur in tempore ipsâ potentiâ Dei. Cæterum potentia Dei ad dispositionem sapientiæ divinæ sese exerit. Unde in nonnullis actionibus renitentiam, ut diximus, admittit, non ex defectu ac imperfectione virtutis, sed ex sanctione sapientiæ, cui hoc modo, ordine, termino, temperamentoque operari placuit. Est verò voluntas divina executrix & dispensans ea, quæ ab æterno Deus exequenda dispensandaq; decreverat, omnium actionum Dei ad extra causa & origo, plures alias editura utique, nisi à creaturis liberis per abusum voluntatis creatæ obiecta ataxia retraheret dispensationis ubertatem; & quasdam non editura, nisi ad justitiam adigeretur exercendam subiectarum creaturarum improbitate. Habet illa voluntas executrix pro obiecto ipsam decretorum divinorum imaginem, circa illa in effectum deducenda operosa est ad modum decretorum. Actiones ipsæ, sive Dei, sive hominum sunt certa quadam ratione effectus (ita sane malle debemus, etiamsi optionem Triglandius non dedisset) voluntatis executricis. Ex hac emanat creatio, conservatio, gubernatio, directio divina. Ex hac proficiscuntur auxilia, uti vocant, & concursus divini admensuratio, quibus creaturarum actiones nituntur.

Dicatur sanè *omnipotens* ista voluntas, quia est positiva in §. 5. *An Voluntas Dei decernens &*
Deo perfectio, non tamen tum magis quam quævis alia voluntas
Dei

exequens peculiariter sit omnipotēs?

Dei propriè sic dicta omnipotens est, quoniam non hæc magis, quam quævis alia cum omnipotentia identificatur, tum in ipsa operatione quacunque absolutè & secundum omnem intensionem potentiæ divinæ procedit, quoniam quamvis omnis ejus actio sit ab infinita virtute & ex ipsius omnipotentiæ thesauro redundet, non tamen placet Deo secundum executricem suam voluntatem ubique & semper omnia perrumpere obstacula. Nec ad diminutionem Majestatis omnipotentis voluntatis pertinet, si sistat intra certos gradus operationis suæ seriem & ulterius vim non protendat. Ex eadem voluntate omnipotente executrice Dei profecto est creatio animæ tauri, leonis, serpentis, & animæ humanæ. Neque tamen ad eum gradum perfectionis conferendum in anima tauri, leonis & serpentis tetendit omnipotens ista executrix voluntas, ad quam intensa fuit conferendam in anima hominis. Ut verò se habet voluntas omnipotens executrix in conferendis gradibus perfectionis, ita sese habere potuit sine ulla imperfectionis implicatione in producendis aut suspendendis actibus suis. Nec enim ratio est in contrarium, cur Deus in progressionibus omnipotentis executricis voluntatis suæ ad extra possit in diversis creaturis diversos gradus perfectionis producere, & non possit in tanto & tanto gradu operosæ suæ gratiæ sese exerere aut non exerere, si in ipso subiecto operationis justa sint impedimenta, quibus nihil in Deo impeditur, in quo omnia sunt in immutabili perfectione, fit tamen, ut subiectum ad id non exurgat, ad quod excitari posset, nisi sibi obstaret. Non minus libera est voluntas Dei *libertate contrarietatis*, quam & *specificationis vocant*, quam *libertate contradictionis*, quam & *exercitij* vocant. In qua *exercitij libertate* suspensio operationis ex intercisione ordinis divini oritur. Ubi nequaquam divina voluntas à voluntatis humanæ concursu suspensa esse jubetur; cum non homo, sed Deus ordinem sanxerit, adeoque progressio divinæ voluntatis ad ulterius operandum, vel non operandum, à supremo ipsius nutu dependeat, quo decrevit omittere peculiaris concursus gratiam, si creatura taliter sese exhibuerit, qualiter ut sese exhibeat, à permissione divina est, licet & hac posita possit adhuc creatura sese taliter exhibere & non possit, ut omnino etiam à culpa sanctissima divina permissio liberetur, ut infra patebit.

Quo sensu impedimentum ad Dei voluntatem accedat?

ma

Quod Psaltes Regius Ps. 115, 3. ait, *Deus noster in cœlo quicquid vult fecit*, idem exposuit Ps. 135, 6. cum ait, *Omnia quæcunq; voluit Dominus fecit in cœlo & in terra & in mari & in omnibus abyssis*, Nimirum spectat ad opera creationis & conservationis universi & ad singularia atque admiranda, quæ ad introductionem populi Israelitici ex Ægypto per desertum in Canaanitidem terram præter omnium gentium opinionem operatus est. Patet hoc ex ipso scopo Psalmistæ, qui est, respondere ad idololatrarum quæstionem de Vbietate Dei. *Dicunt gentes, ubi est Deus eorum?* Responsurus Psaltes ait, *Deus noster est in cœlo, omnia, quæ voluit, fecit.* LXX. inserunt, καὶ ἐν τῇ γῇ. Et ita etiam legit Athanasius Orat. 4. contra Arian. & dialogo 2. de Trinit. & Euthymius Zigabenus h. l. Apollinarius ita canit. νωΐτερος θεὸς αὖτε κατ' οὐρανὸν αἰὲν ἀνάσσει. οὐρανῷ ἠρήρειτας ἀτὰρ χθονὸς ἔργα νομεύει. *Noster Deus rursum in cœlo semper imperat. Cœlo innixus est, at terræ opera gubernat.* Psalterium Rom. Cassiodorus & Arnobius ita legunt: *Deus autem noster in cœlo, sursum in cœlo & in terra.* Psalterium Æthiopicum & Prosper legunt. *in cœlo sursum & super terram.* Psalt. Ecclesiæ Ambrosianæ: *in cœlo, sursum in cœlo & super terram.* Irenæus III, 8. *Deus autem noster in cœlis sursum & in terra.* Sed non est de textu, ut rectè Hieronymus ep. 113. monuit. Vis responsionis hæc est; Qui omnium rerum auctor & causa est, de eo non debet quæri, ubi sit, tanquam in certâ quapiam resideret sede, cum sit ubiq;. Qui enim omnium rerum autor est & causa & sic eas in tempore produxit, sicut ab æterno voluit, is infinitus est. Infinitus autem ubique est, nec ullis comprehenditur spatijs. Patet etiam ex oppositione Dei & simulachrorum. Deus Opt. Max. innuente Psalmista, maximis & innumerabilibus operibus est celeberrimus, sive cœlum intuearis, sive aerem, sive terram, sive maria, omnia plena sunt documentis & monumentis immensæ potentiæ & sapientiæ, quæ edidit Deus & exposuit secundum beneplacitum voluntatis suæ. Simulacra & impuri isti Spiritus, qui sub simulacrorum involucro fascinant homines, nil tale præstant, nec præstare possunt. Jam igitur magnum argumentum est, Deos & simulacra gentilium nihil esse, nihil prodesse, quia nullum actum inter opera divina eminentem sibi vindicare possunt. Eadé ratione progreditur S. Jobus XXIII, 13. *Ipse solus est, & nemo avertere potest cogitationem ejus & anima ejus*

§. 6. *Psalmi 115, 3. & 135, 6. expenditur.*

Locus Iobi 23, 15. expenditur.

quodcunque voluit, fecit. Si quis ista verba ad universalem Dei gubernationem retulerit, explicare necesse habet de Voluntate Dei ultimata, finali, consequente. Est quidem voluntas in Deo actus simplicissimus & omninò indivisibilis, pertinet tamen ad perfectionem divinæ illius simplicitatis & indivisibilitatis, non impedire ordinem & volitionum rectissimam, sanctissimam, sapientissimamque processionem quasi & ordinationem, quæ ex ipsa rerum creatarum mutatione providentissimè instituitur & decernitur. Itaque *mediata, antecedenteque voluntate* quædam ordinari potuerunt ab æterno, cum certa determinatione ad futuros eventus, ad quorum prævisionem ista voluntas transit in certum quoddam apotelesma & ultimatè resolvitur. In hoc apotelesmate & in hâc ultimâ resolutione voluntatis divinæ, quæ suppositis supponendis in divinis existit sine ulla simplicitatis absolutæ violatione, quicquid Deus vult, illud fit. Sanè cum Deus singulari sua providentia hæc omnia inferiora disponere & ordinare velle dicatur, eò quod unum decreverit esse aut facere propter aliud (tametsi n. Deus non velit unam rem propter aliâ, sed omnia creata propter suam bonitatem, adeò ut nullum objectum creatum sit Deo ratio volendi aliud, sed sola sua bonitas sit ratio per modum finis volendi reliqua, vult tamen Deus unam rem creatam esse propter aliam) intelligimus *quasi instantia quædam prioris & posterioris* in Deo, quibus eum concipimus ordine sapientissimèque volentem aut decernentem prius unum, quam aliud, cum tamen revera uno actu omnia videat atque definiat. Vbi nihil repugnat in priori instanti volitionis divinæ Deum, suppositò, aut incluso certo ordine, velle cum amplitudine aliqua, quæ in posteriori instanti ex illo ordine determinata & restricta intelliguntur. Sic sanè volitiones divinæ in uno simplicissimo & immutabili actu divino ordinandæ sunt, ut nihil bonitati, nihil justitiæ, nihil sapientiæ repugnent. Pari namque perfectionis puritate omnes illæ perfectiones in actus divini simplicitate comprehenduntur. Sed & sic licebit Psaltis Regij pronunciatum interpretari, Deum omnia efficere, quæ vult, quousque & quomodo vult. Quamvis scilicet volitionem divinam sequi aliquam efficacitatem & progressionem ad extra in ijs, quæ extra se vult. Nullam voluntatem divinam esse sterilem & infœcundam. Quædam

Deum

Deum velle sine alligatione ad aliquem rerum ordinem, sine suppositione talis vel talis repræsentationis objectorum occupandorum. Hæc ita simpliciter Deum facere. Quædam velle intra certum ordinem, certamque quasi metam, intra quam pertrahere non malitiosè renitentia objecta velit. Intra illum ordinem etiam facere, quæ vult.

§. 7. *Augustini cap. 95. Ench. ad Laurentium expl. i catur.*

In hunc sensum loquitur Augustinus Enchirid. ad Laurentium cap. 95. *Tunc* (loquitur de translatione nostri in regnum gloriæ) *in clarissimâ luce Sapientiæ videbitur, quod nunc piorum fides habet, antequam manifesta cognitione videatur, quam certa & immutabilis & efficacissima sit voluntas Dei quam multa possit & non velit, nihil autem velit, quod non possit* (scil. ad istam decreti æternam legem repræsentare, quam sanxit): *quamque sit verum, quod in Psalmo canitur*, Deus autem noster in cœlo sursum, in cœlo & in terra omnia quæcunque voluit, fecit. *Quod utiq; non est verum, si aliqua voluit, & non fecit* (scil. quousque efficaciæ cœlestis progressio sibiipsi terminum posuit.) *Et quod est indignius, ideò non fecit, quoniam ne fieret quod volebat omnipotens, voluntas hominis impedivit. Non ergo fit aliquid, nisi omnipotens fieri velit, vel sinendo ut fiat, vel ipse faciendo. Nec dubitandum est, Deum facere bene, etiam sinendo fieri, quæcunque fiunt malè. Non enim hoc nisi justo judicio sinit. Et profectò bonum est omne, quod justum est. Quamvis ergò ea, quæ mala sunt, in quantum mala sunt, non sint bona, tamen ut non solum bona, sed etiam sint & mala, bonum est. Nam nisi esset hoc bonum, ut essent & mala, nullo modo esse sinerentur ab omnipotente bono. Cui procul dubio quam facile est, quod vult facere, tam facile est, quod non vult esse, non sinere. Hoc nisi credamus, periclitatur ipsum nostræ fidei confessionis initium, qua nos in Deum patrem omnipotentem credere confitemur. Neque enim veraciter ob aliud vocatur omnipotens, nisi quia quicquid vult potest, nec voluntate cujuspiam creaturæ voluntatis omnipotentis impeditur effectus. Quamobrem videndum est, quemadmodum sit de Deo dictum, quia & hoc Apostolus verissimè dixit, quia omnes homines vult salvos fieri. Cum enim non omnes, sed multo plures non fiunt salvi, videtur utique non fieri, quod Deus vult fieri, humana scilicet voluntate impediente voluntatem Dei. Quando enim quæritur causa, cur non omnes salvi fiant, responderi solet, quia hoc ipsi nolunt.*

Quod quidem de parvulis dici non potest, quorum nondum est velle seu nolle. Nam quod infantili motu faciunt, si eorum voluntati judicaretur esse tribuendum, quando baptisantur, cum resistunt, quantum possunt, etiam nolentes salvos eos fieri diceremus. Sed apertius Dominus in Evangelio compellans impiam civitatem; Quoties, *inquit*, colligere volui filios tuos, sicut gallina pullos suos & noluisti: *tanquam Dei voluntas superata sit hominum voluntate, & infirmissimis nolendo impedientibus non potuerit facere potentissimus quod volebat. Et ubi est illa omnipotentia, qua in cœlo & in terra omnia quæcunque voluit fecit, si colligere filios Hierusalem voluit & non fecit? An potius & illa quidem filios suos ab ipso colligi noluit, sed ea quoque nolente filios ejus collegit ipse, quos voluit, quia in cœlo & in terra non quædam voluit & fecit, quædam verò voluit & non fecit, sed omnia quæcunq; voluit fecit.* Hoc S. Augustini loco abutuntur plurimi. Loquitur autem manifestè de voluntate ultimata, finali, consequente, qua, post prævisionem, omnium rerum ordo & tam permissorum quam factorum eventus constitutus est. *Nihil vult*, inquit Augustinus, *quod non possit Deus.* Optimè. Nec enim Deus esset, nisi eò usque potens esset, quousque volens. Voluntas tamen potentiam ipsam limitat quasi & ordini rerum applicat. *Nihil voluit Deus*, inquit Augustinus, *quod non fecit.* Ita est. Sed quomodo voluit. Si absolutè voluit, absolutè fecit. Si secus, fecit quousque voluit. Nihil sanè obstitit Omnipotentissimo Deo, quo minus faceret, ut voluntas ejus constaret, & progrederetur eousq;, quousq; ipsa sibi viam aut terminum constituerat. *Indignissimum est*, inquit B. Augustinus, *si ideo dicatur aliquid non feciſſe Deus, quoniam ne fieret, quod volebat omnipotens, voluntas hominis impedivit.* Ita est, si voluntas hominis impedivit potentiâ, quod superiori potentia in effectum deducere Deus decreverat. Aliter dicendum, si impotentia & defectione voluntaria restitit. Planè noster est Augustinus, cum dicit; *Non ergo fit aliquid, nisi omnipotens fieri velit, vel sinendo ut fiat, vel ipse faciendo.* Hoc certè prædeterminationem à causa prima dependentem evertit. Quod verò sinit Deus fieri, id hactenus extra ordinem voluntatis antecedaneæ à causa secunda interlabitur. Si enim ex ordine antecedaneæ voluntatis promanaret, jam non sineretur à Deo, sed fieret. Quatenus itaque id Deus fieri sinit, jam volunta-

luntatem super rerum ordine aliam habet; quoniam tamen etiam quod finit fieri, in ordinem cogi potest & ad rerum seriem aliquo modo disponi, permittitur à Deo. Sic igitur nunc Psaltis Regi locum interpretabitur Augustinus, ut dicat, *quicquid Deus facit, aut facit per modum causæ influentis in effectum, aut facit per modum causæ permittentis, nec absolutæ voluntate resistentis, quo minus causa secunda in tantum deordinaretur à Creatoris lege, in quantum tamen fini ultimo, in quem sive per se sive per accidens dirigi debent omnia, non repugnat.* Quapropter *facere* B. Augustinus etiam *ad permissionem Dei* refert; ne otiosam hic ejus speculationem comminisci videatur. Dum enim permittit Deus, non facit equidem malum, quod non vult, quanquam permittere vult; attamen facit circa malum, quæ vult, quæ nisi faceret, nec malum esset, quod tamen nullo prædeterminante actu Dei est, nec bonum ex malo divina Sapientia produceret. Conferantur quæ B. Augustinus scribit *de divinatione dæmonum c. 2. Tom. 3 p. 843. ed. Bas.* Non, inquit porrò B. Augustinus, *ob aliud Deus vocatur omnipotens, nisi quia quicquid vult potest, nec voluntate cujuspiam creaturæ voluntatis omnipotentis impeditur effectus.* Rectissimè. Si de effectu *absolutè intento*, aut *ultimatè ordinato* intelligas, ad quem contendendo multa permittit Deus, quæ beneplacito Dei repugnant. Pertinet huc, quod ait Augustinus de C. D. XXII, 1. *Multa fiunt à malis quidem contra voluntatem Dei, sed tanta est ille sapientia tantæque virtutis, ut in eos exitus sive fines, quos bonos & justos ipse præscivit, tendant omnia, quæ voluntati ejus videntur adversa. Nulla enim vis est*, ut rectè Ludov. Vives h. l. *quæ hucusque ordinata divina voluntas impediri vel averti queat.* Pulchrè rursus Augustinus *de Spiritu & litera c. 33. Vult Deus omnes homines salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire: non sic tamen, ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene vel male utentes justissimè judicentur. Quod cum fit, infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt, cum ejus Evangelium non credunt, nec ideò tamen eam vincunt, verum seipsos fraudant magno & summo bono, malisq; pœnalibus implicant, experturi in supplicijs potestatem ejus, cujus in donis misericordiam contempserunt. Ita voluntas Dei semper invicta est, vinceretur autem, si non inveniret, quid de contemtoribus faceret, aut ullo modo posset evadere, quod de talibus ille constituit.* Ex quibus

verbis simul illud manifestum est, non impedimentum aut victoriam esse malæ voluntatis, quando voluntati divinæ de salute sibi quoque communicanda repugnat, sed defectionem & declinationem, cui suum jam voluntas divina posuit terminum, quem non transgredietur. Rectè proinde hoc sensu Augustinus judicat, quod S. Paulus dicit, *Deum velle omnes homines salvos fieri*, eventus autem indicat, plurimos salvos non fieri, nequaquam ita capiendum esse, quasi voluntas Dei in omni suo ordine, adeoque etiam finali determinatione ab humanâ voluntate impediretur. *Nam*, ut ille simili rem illustrat loco proximè adducto, *qui dicit, volo ut hi omnes servi mei operentur in vineâ, & post laborem requiescentes epulentur, ita ut quisquis eorum hoc noluerit, in pistrino semper molat, videtur quidem, quicunque contemserit, contra voluntatem Domini sui facere; sed tunc eam vincet, si & pistrinum contemnens effugerit: quod nullo modo fieri potest sub Domini voluntate.* Cæteras loci 1. Tim. 11. expositiones, ad quas nonnunquam delabitur B. Augustinus, aliàs expendere licebit. Quod de infantibus inserit, omittimus, nec enim hic locus est illius controversiæ. De Jerosolymitanorum vocatione suo loco nobis agendum erit. Hoc loco Augustinus ostendit, non posse cœlestis Sapientiæ querelam in eum rapi sensum, quasi victoriam contra voluntatem Dei obtinuerit humana malitia. Nimirum indicat, non esse hæc verba *victæ* Sapientiæ, sed *spretæ* & ab antecedenti suo consilio ob malitiam humanæ voluntatis digressæ. Partim enim absurdissimum esse, *Dei voluntatem humanæ voluntate superari, & infirmissimis nolendo impedientibus non potuisse facere potentissimum, quod volebat, cum omnipotentia, quæ in cœlo & in terra omnia, quæcunque voluit, fecit, non possit unquam vinci*: partim etiam ipsa evidentia victricis Sapientiæ constare, etiã nolenti Jerosolymæ filios tamen ereptos & in regnum cœlorum translatos esse. Quod enim aliqui Hierosolymitanorum filiorum, quos ardentissimo amore colligere sapientia voluerat æterna, non collecti sunt, non est filiorum *victoria*, sed *malitiosa infirmitas*, qua se vinci magis passi sunt, quam pulcherrimis sapientiæ glocitantis motibus: quod autè aliqui ab interitu prærepti sunt Hierosolymæ repugnanti, Sapientiæ potentiam ostendit, qua & qui præripiuntur, salvantur, & illi qui pertinaciter renituntur, non effugiunt, quod voluntatis divinæ potentia destinavit finaliter renitentibus

tibus, ut adeò victrix semper perseveret voluntas æterna. Ita suam mentem tandem exponit Augustinus infra cap. 100. *Hæc*, inquit, *sunt magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus, & tam sapienter exquisita, ut cum angelica & humana creatura peccasset, i.e.* non quod ille, *sed* quod voluit ipsa *fecisset, etiam per eandem creaturæ voluntatem, qua factum est, quod creator noluit, impleret ipse, quod voluit, bene utens & malis, tanquam summè bonus, ad eorum damnationem, quos justè prædestinavit ad pœnã, & ad eorum salutem, quos benignè prædestinavit ad gratiam. Quantum enim ad ipsos attinet, quod Deus noluit fecerunt: quantum verò ad omnipotentiam Dei, nullo modo id efficere valuerunt. Hoc quippe ipso, quod contra voluntatem fecerunt, de ipsis facta est voluntas ejus. Propterea namque magna opera Domini exquisita in omnes voluntates ejus, ut miro & ineffabili modo non fiat præter ejus voluntatem, quod etiam contra ejus sit voluntatem; quia non fieret, nisi fineret: nec utiq; nolens finit, sed volens. Nec fineret bonus fieri malè, nisi omnipotens etiam de malo facere posset bene.*

§. 8. Quomodo locum Psaltis exponit B. Augustinus, ita S. Jobi B. Gregorius Papa XVI. Moral. c. 19. *Cum*, inquit, *sit cunctis corporibus exterior, cunctis mentibus interior Deus, ea ipsa vis ejus, qua omnia penetrat cunctaque disponit, anima illius appellatur. Cujus videlicet voluntati nec illa obsistunt, quæ contra voluntatem illius fieri videntur: quia ad hoc nonnunquam permittit fieri etiam quod non præcepit, ut per hoc illud certius impleatur, quod jubet. Apostatæ quippe angeli perversa voluntas est; sed tamen à Deo mirabiliter ordinatur, ut ipsæ quoq; insidiæ utilitati bonorum serviant, quos purgant, dum tentant. Sic ergo anima ejus, quodcunque voluit, hoc fecit, ut inde quoque voluntatem suam impleat, unde voluntati ejus repugnari videbatur.*

§. 9. *An aliqua voluntas divina inefficax?* Dicatur porrò ista voluntas divina *decernens & operans efficax.* Efficax sanè est, si operans est. Imò efficacem esse oportet eousque, quousque decreti divini ratio sese diffundit. Dicis, ita esse efficaceni, ut à nemine possit impediri. Permittimus, si cum Augustino de *determinatione ultima & finis immutabilis*, quem universim in rerum serie posuit omnipotentissimus, accipis. Nolumus ludi vocabulorum asperitate in materia divina & sacrosancta. Nulla potest vis injici voluntati summæ. Impediri itaque propriè nequit. Potest tamen ordinem rerum constituere & ad illum amplissimas bene-

beneplaciti divini significationes alligare, cui dum pertinax malitia refragatur, *moraliter* impeditur, dum propter illam renitentiam se non applicat subjecto, quod nova excitata pertinacia extra ordinem descriptum sese moratur. Sic sanè ex revelatis voluntas divina nobis explanata est. Cuicunque subjecto ea sese sistit beneficis explicationibus dispensationis gratiosæ, *efficaciter* sese sistit, & cum tantâ activitate, quanta ad ordinem sapientiæ suæ terminosque præstitutos pertinet. Efficax est, inquam, voluntas Dei non solum *actu primo*, quomodo ab æterno fuit, quæ semper fuit actus purissimus potentissimusque; sed & *actu secundo*, dum motibus & suggestionibus excitatis subjectum propositum afficit. Non igitur *in officina sua*, subjectis ordini suo applicandis præsentibus, caret ἐνεργείᾳ, imò etiam ad ἐνέργημα quodpiam non rarò progreditur, licet malitia apotelesma oriri non permittat. Si velis, voluntatem illam æternam decernentem ita esse efficacem, ut omnis omninò intentio aut volitio divina ad ipsum usque apotelesma perveniat & id ipsum re ipsa præstet, quod designavit misericordi beneplacito, negamus, hac efficacia eam nobis commendari in divinis revelationibus. Imò huic assertioni innumera earundem testimonia reclamant, uti suo loco monstrabimus. Neque propterea, quod Johannes Maccovius *Colleg. Theolog. de prædest. disp. 8.* objicit, mutatio aliqua in Deum introducitur. Ut enim voluntas divina sine mutatione sui actum decreto suo conformẽ comparere fecit, ita si omittat in actum deducere, quod certo rerum ordine suppositio decreto complexus est, intra sese neutiquã mutatur. Uti sine mutatione sui ex ordine sapientiæ suæ in diversis creaturis diversa operatur, ita pariter sine sui mutatione circa unam eandemque creaturam ex eodem sapientiæ suæ ordine operari & non operari velle potest, & de facto voluit.

§. 10. *Maccovij de Voluntate Dei perperàm efficaci sententia refellitur.*

Dicis: *Si voluntas aliqua Dei inefficax esset, voluntas Dei ferretur in id, quod nunquam vidit futurum esse. Absurdum hoc: E. & illud. Ratio consequentia est; quia nemo vult id, quod impossibile est, quia frustrà vellet.* Respondemus: ordinem scientiæ & voluntatis divinæ *secundum modum revelationum Dei* esse constituendum. Deus ita sese nobis revelavit, quod præviderit hominis lapsum, præviderit mediatoris ordinationem ceu sufficientissimum & efficacissimum

simum medium hominem lapsum restaurandi, voluerit Mediatoris convenientissimam exhibitionem, prævideritque Mediatoris ordinationem à quibusdam contemtam iri contra consilij sui sapientiam. Quod igitur voluntas sit inefficax futura respectu eorum, qui contra voluntatis divinæ ordinationem Mediatorem contempserunt, ad instans, ut sic loquar, ordine posterius pertinet, in quo divisio fidelium ab infidelibus oritur & præscitur. Quod consequens est & ad eventum referendum. Neque verò summæ Dei sapientiæ repugnat, ferri in id, quod vidit nunquam futurum esse. Deus enim naturæ suæ summè bonæ potentiam hoc modo declarat. Et licet hoc non faciat sub persuasione infallibilis eventus, cum fertur in aliquid vitio creaturæ non futurum, facit hoc tamen & sese eo ferri revelat, ut ἀυτοκατάκειτον & ἀναπολόγητον creaturam faciat, cum ei non indicat duntaxat, quid circa eam fieri velit, sed & efficacissima remedia ad fiendi vires dispensat. Neque sapientiæ repugnat velle id, quod, cum ex natura sua, & supposito certo rerum ordine, fieri posset, & absolutè impossibile non sit, impossibile ex parte subjecti redditur. Etiamsi n. Deus ipse possit, ut fierent, quæ fieri vult, si ita fieri vellet, ac si nulli ordini adstrinxerit dispensationē potentiæ suæ, quia tamē ipse posse suū sufficienti ἐνεργείᾳ dispensat, etiā ubi prævidet, non secuturum effectū in eo subjecto, cui & ipsum posse dedit ad effectum, velle adhuc potest effectum jure requisitionis & superioritatis, vindicaturæ interciſionem effectus in eo subjecto, quousque in vindicatrice voluntate progredi non posset, nisi in voluntate efficaci antecedenter eò usq; processisset. Liquet id, si *autochira* consideremus. Is actu dispensatas ab efficaci voluntate habet vires ad continuationem vitæ quam destinato temerarioq; consilio sibi eripit per violentas manus. Itaque efficaci voluntate Deus ipsum in ipso tentatæ ἀυτοχειρίας actu concursu suo beat. Imò & porrò beaturus fuisset. Voluit igitur illa operosa voluntate, ut diutius viveret, sed ita, nisi sibi ipsi homo intulerit sanguinarias manus. Hucusque enim progressurum hominem deserere constituit & permittere interciſionem conservationis suæ. Quis igitur asseverabit, Sapientiæ divinæ repugnaturum, si diceretur, Deum voluisse ulteriorem conservationem ἀυτόχειρος, quem prævidit non admissurum continuationem, concursum & conservationem divinam, sed interciſurum? Imò

verò ſapientiæ divinæ juſtitiæq; maximopere conſentaneum judicari debet, quod voluerit continuationem conſervationis ἀυτόχειρ. Non impedit hic ἀυτόχειρ vi aliqua prævalente divinam influentiam, eo ſenſu, quo ſupra innuimus, ſed intercidit. Ἀντίπτωσιν vocat S. Stephanus Act. 7, 51. Hoc non eſſet, niſi voluntas divina eſſet in operationis ſuæ efficacia contra illam ἀντίπτωσιν. Nec ἀυθόχειρες propter ipſam ἀυτοχειρίαν punire poſſet Deus, niſi voluiſſet continuationem vitæ; non inquam actum, ſed duntaxat affectum juſtitia vindicatrix in crimen trahere poſſet.

§. II. *An voluntas divina ſuo poſſit fruſtrari fine?*

Dicis rurſus; Si Dei voluntas aliqua eſſet inefficax, Deus poſſet fruſtrari ſuo fine. At hoc falſum eſt Thren. 3, 37. *Ecquo dicente exiſtit aliquid, ſi Dominus non præceperit.* Hinc etiam illa regula fluit Theologorum: *Ex eventu judicandum eſt de Dei voluntate.* Reſpondemus, nequaquam dicendum, Deum ſuo fine fruſtrari, ſi vel maximè aſſeruerimus, aliquam Dei voluntatem eſſe inefficacem, ſicut ſupra explicavimus. Neque enim ita eſt aliqua in Deo voluntas inefficax, ut planè nihil operetur, adeoque nulla planè ratione attingat finem divinum. Nam & illa ipſa voluntas ſeſe exerit & cœleſtibus oſtenſis auxilijs diſpenſat, & cum non id præcisè efficit, ad quod immediatè ordinatèque tendit, pertingit tamen ad oſtenſionem perfectionis, ubertatis, bonitatis, ſapientiæ, pulchritudinisque regiminis divini, quo *etiam reluctante creatura ſua* creator id agit, quod gloriam ipſius illuſtrat & demonſtrat juſtitiam. Quaſi verò omnem finem voluntatis divinæ evertat fruſtreturque repugnantia creaturæ, cum renititur, ne hic vel ille actus divinus ita terminetur, ſicut eum promiſſionum divinarum potentia & præſentiæ Dei propinquitas, intra certi tamen ordinis periodum, urgent! Quaſi verò Deus ex decreto univerſalis diſpenſationis promanaturam actionem in æterno illo omniſcientiæ ſpeculo non prævideat, non ita terminatum iri, ſicut ampliſſima decreti æterni benignitas inclinat, adeoque præſtituerit alium ſapientiæ & juſtitiæ æternæ conſentaneum finem, ad quem diſpoſitionis optimæ terminetur denique ordo. Si Deus abſolutè intenderet illum finem & non intra certi ordinis regulas, neque decreviſſet, eum non obtinere, oppoſitis ijs actibus, qui ad everſionem ordinis divini tendunt, tunc dici poſſet, eum fruſtrari ſuo fine, quod cum perfectionis divinæ violatione conjunctum eſſet.

Atqui

Atqui verò dispensationem ubertatis divinæ ad aliquem effectum pulcherrimum præstantissimumque diximus connexam esse certo ordini sapientissimè sufficientissimèque concinnato.

§. 13. *Locus Thren. 3. 37. expenditur.*

Ad locum è Thren. 3,37. notamus 1. paraphrasin Chaldaicam ex translatione B. Ariæ Mont. hunc sensum proponere. *Quis est ille vir, qui dixit: Et fuit hoc malum factum in seculo, nisi pro eo, quod fecerunt, quod non fuit præceptum eis ab ore Domini. Ex ore Domini non egreditur malum, nisi per filiam vocis manifestatam ob rapinas, quibus impleta est terra: & in tempore, quo cœpit decernere bonum in seculo, ex ore sanctissimi egreditur.* Vulgata Latina ita habet. *Quis est iste, qui dixit ut fieret, Domino non jubente? Ex ore altissimi non egredientur nec bona, nec mala.* LXX. Τίς οὗτος εἶπε, καὶ ἐγένετο, Κύριος οὐκ ἐνετείλατο. Ἐκ στόματος ὑψίστου οὐκ ἐξελεύσεται τὰ κακὰ καὶ τὰ ἀγαθόν. R. Stephanus triplicem habet versionem in notis h.l. *Quisnam ergo juvet aliquid fieri, si Dominus non jubet?* Alij: *Quis hoc dixerit, aliquid fieri, quod Dominus non præcipiat.* ita Tigurini & qui eos passim repræsentat Fr. Vatablus. Alij: *Quis est, qui dixit & factum est, & Dominus non præcepit?* Eandem translationem habet Seb. Munsterus h.l. In hunc sensum est & Genevensis Gallica A. 1588. *Qui est cestui-ci, qui dit, que cela à este fait, & que le Seigneur ne l'a point commande?* Joh. Deodatus in transl. Italica quoque ita reddit: *Chi è colui, che habbia detto qualche cosa, è cio sia auuenuto, se' l Signore non l' ha comandato?* Addit tamen in notis; posse fortassis esse dictum fidelis infirmi, aut impij, qui neget, illa quæ Hierosolymæ intentata sunt excidia mandante Deo facta esse: quo casu ita traduci posse locum ait: *Chi è colui, che habbia cio detto, onde sia auuenuto? il Signore non l' ha comandato.* Santes Pagninus ita transfert: *Quis est, qui dixit, & fuit hoc, Dominus non præcepit.* Ben. Arias Montanus: *Quis ille dixit: Et fuit, Dominus non præcepit.* Ex consideratione sanè harum translationum hoc emergit, Junio-Tremellianam plusculum sibi vendicasse licentiæ. Originalis textus juxta productos plerosque translatores hoc vult: *Neminem posse salva veritate divina asserere, aliquod factum esse, de quo præceptum Domini non sit:* Junio-Tremelliana translatio ait: *Nemine dicente aliquid existere posse, si Dominus non præceperit;* quæ duo longè diversa sunt. Non debuisset igitur meditabundus Maccovius tam pertinaciter inhæsisse Junio-Tremellianæ translati-

oni. Notamus 2. illud, *præcepit*, cujus Lamentator divinus facit mentionem, non necessariò ad ipsum factum esse restringendum, quasi Deus Opt. Max. omnia & singula enormissima flagitia, quibus immani barbaraque crudelitate populum Dei concusserunt Babylonij, Deo præceptore essent orta. Est omninò eorum illa vox, qui aut dubitant, aut planè negant providentiam divinam. Suadent id antecedentia, in quibus mœstissimis sub mole calamitatum Israelitis persuadetur, ut cogitent, se sub immensi Numinis oculis ista mala perpessos esse, vigilare supra se Deum, neque hunc permissurum esse ultra, quam & bonitati & sapientiæ divinæ, & ipsorum afflictorum ædificationi proficuum futurum est. Hinc illæ consolationes efficacissimæ, quæ longâ serie ad tentatorum solatium nectuntur è v. 19. usque ad v. 34. in quo incipit gravissima illa & intolerabili vulnere conscientias mordens tentatio, quod omnia mala extra providentiam divinam sint & adversariorum hostilibus libidinibus permissi Israelitæ, ita sint à Deo abjecti, ut nec videat ille ipsorum angustias, nec quicquã de illis præcipiat. Sunt enim annotatæ duæ gloriationes Epicuræorum contra tentatos. *Dominus non videt*, v. 36. *Dominus non præcipit*, v. 37. Visa sunt immanitate barbara, impietate enormia: Dominus non attendit. Visa sunt impetu ferocissima, crudelitate plus ausura & ad extremum usque gradum malitiæ progressura: Dominus non præcipit sc. ut sistantur molitiones, coerceatur crudelitas, refringatur malitiæ æstus. His verò opponit sese Lamentator divino concitatus spiritu & ait, omninò, *Dominus videt*, Babyloniorum immanitatem, nostrasque miserias. *Dominus præcipit*, non illas, sed circa illas, ordinat salubriter, moderatur sapienter, temperat leniter, arbitratur justè, coercet potenter, terminum fixit, stiturus omnia feliciter. Hoc quam maximè ad consolationem tentatorum pertinet, quod afflictiones etiam immoderatissimæ sint sub præceptodivino. B. Lutherus huc respexit, cum ita vertit: **Wer darff sagen/daß solches geschehe / ohne deß Herren Befehl?** & ad confirmationem divinæ providentiæ referunt hunc locum Seb. Munsterus, h. l. *Quia*, inquit, *impij negant providentiam Dei se se extendere ad hæc inferiora, quod putent omnia fieri in terris* בומקרה *casu quodam; id si verum est, jam Deus nec benè, nec malè nobis facere potest.*

poteſt. Sed blaſphema hæc eſt vox, mentiturque homo in peccatis ſuis. Piſcator ſchol.h.l. *Providentiæ*, inquit, *Dei, ſive omniſcia rerum humanarum gubernatio h.l. partim declaratur, partim confirmatur, partim illuſtratur. Declaratur duobus modis*, 1. *ab objecto ſpeciali, vid. ab injuriis, quibus alij alios afficiunt, v.* 34. 35. 36. 2. *Diſtributione ex objectis contrarijs, v.* 38. *Confirmatur autem à pari, vid. opere creationis. nam paris virtutis eſt res creare vel gubernare pro arbitrio, v.* 37. *illuſtratur denique ſimili præceptionis ibidem.* Ubi Piſcator v. 37. duas diſtinctas præpoſitiones contineri autumat. Una eſt: *Qui ille eſt, qui dixit & factum eſt, ille omninò gubernat res humanas tanquam ſummus Dominus.* Altera eſt: *Qui ad ſimilitudinem præcipientis verſatur circa res humanas, ille etiam gubernat iras & auſus Babyloniorum.* Equidem Piſcator vertit, *Dominus præcepit iſtud* ſcil. malum, quod Chaldæi intulerunt Iſaaelitis, de quo poſtea dicturi ſumus. Nobis illud hic placuit annotare, quod ad providentiam conſolatricem pertinere locum dixerit. Eò & Genevenſes in Gallicâ & Deodatus in Italicâ verſ. referunt. Syllogiſmus itaq; conſolatorius hic eſt: De quo jam eſt à Domino præceptum, illud patienter ferendum eſt. Nam Domini illa præceptio ad ſalutarem utique finem omnes calamitates referet, eumque procurabit terminum, qui ad ipſius gloriam & miſerorum glorificationem exeat. At malorum à Babylonijs nobis illatorum ea eſt ratio, ut Domini de ijs certiſſimum ſit præceptum. Sed & notamus 3. *de malis pœnæ* hoc loco potiſſimum eſſe ſermonem. De illis enim in antecedentibus & conſequentibus h.c. imò & in univerſum in lamentationibus maximè ſermo eſt. Declarat hoc Commentarius priſcus in Threnos, qui & inter opera Hieronymi reperitur, & in fine Commentariorum in Jeremiam Rabani Mauri Epiſc. Moguntini, qui Ann. Chr. 855. floruit, ſub eodem nomine reperitur; *Fuerunt*, inquit, *hæretici, qui dixerunt, Deum non facere mala, contra illud, quod ſcriptum eſt*, ego Dominus formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem & creans malum. *E contrario fuerunt alij, qui dixerunt, Deum creaſſe mala, contra id quod ſcriptum eſt*, Fecit Deus omnia bona. *Fuêre alij, qui dixerunt duas naturas & duas ſubſtantias ab initio fuiſſe, id eſt bonam & malam, cum omnis natura aut creator ſit, aut creatura. Vnde falſum eſt, quod natura ulla mala ſit,*

cum creator summus & optimus creaverit bonam creaturam. Quia vidit Deus cuncta, quæ fecit & erant valde bona. Tropicè igitur Deus dicitur facere mala, hoc est, adversa merentibus infligere: juxta illud, quod in Esaia scriptum est, Ego Dominus, & non alter, formans lucem &c. Mala, quæ nulla natura sua subsistunt, à Domino non creantur, sed creante se mala Dominus judicat, cum res bene conditas nobis malè agentibus in flagellum formet, ut ea ipsa & per dolores, quo feriunt, delinquentibus mala sint & per naturam, quæ existunt bona. Venenum quidem mors scilicet est homini, sed tamen vita serpenti. Amore enim præsentium ab autoris nostri dilectione recessimus & perversa mens cum delectatione creaturæ sese subdidit, à creatoris se societate disjunxit. Ex his ergo ab autore ferienda erat, quæ errans autori præposuerat, ut unde homo culpam non timuit superbus admittere, inde pœnam corrigendus inveniret, ut tanto ocyus respiceret ad illa, quæ perdidit, quando doloris pœnam esse conspiceret, quæ quæsivit. Sic & Conr. Pellicanus h.l. *Deus omnia humana curat, contra quorundam Philosophorum sententiam, dicentium Deum super cardinem habitare cœlorum, nihil considerare nostra, non cadunt duo passeres super terram, non folium de terra sine Patre nostro, crines capitis nostri numerati sunt, oculi Domini contemplantur omnia, nihil absconditum à facie ejus. Si quando affligit nos Dominus, ad nostram id emendationem ordinat. Nihil mali permittit in orbe Dominus, unde non bonum aliquod sibi notum & necessarium eliciat, id quod solus potest, summè sapiens & summè bonus.* Sic & Genevenses, *istud, quod præcipere dicitur Dominus,* interpretantur, *les miseres & calamites, qui advienent aux hommes.* Diodatus. *le avversità & le prosperità, Es.45,7. Amos 3,9.* Unde quando dicit, *Profeta dimostra nulla farsi nel mondo, se non per lo decreto di Dio,* non ita accipiendum, quasi nihil fieret in mundo nisi per decretum antecedenter impellens & necessitans, sed ad decretum permissionis & ordinationis providæ referendum est. Sic & Vatablus & R. Stephanus *prospera & adversa fieri præcipiente Deo* intelligunt h.l. Quando autem Vatablus addit h. l. *Efficax est consolatio in omni afflictione considerare providentiam Dei, nihil evenire homini, cujus non autor sit Deus & omnia attemperari ad nostram salutem, culpam tamen interim nostram agnoscere,* pari ratione ad directionem divinæ permissionis referendum est. Denique notamus

4. radi-

4. radicem צוה non semper in stricta illa significatione accipiendam esse, *ut imperium* aut *impulsum* notet. Nonnunquam indicationem sive significationem solam designat. Gen. 50, 16. *Fratres Ioseph* ויצוו אל יוסף *mandarunt ad Ioseph dicendo &c.* h.e. indicarunt, significarunt dicendo. Commentum enim paterni consilij proponunt Josepho. Sic & ἀπέστειλε pro *annunciavit* interpretari fas est Act. 10, 36. Eam significationem habet etiam Jerem. 27, 3. ubi Prophetæ mandatur, ut Legatis Regum Idumæorum, Moabitarum, Ammonitarum, Tyriorum, Sidoniorumque *præcipiat ad Dominos suos dicere.* Ubi non præcepti, sed indicij actus est, quo significat Propheta, quomodo omninò Deus decreverit in manus Nebucadnezaris dare omnia Orientis regna. *Psalm.* 71, 3. ita Vates ad Dominum; צויתה להושיעני, *præcepisti servare me*, h.e. annunciasti verbo tuo infallibili, quod me servare velis. Lutherus: der du zugesagt hast. Quem sensum etiam in explicatione habet Conr. Pellicanus. Piscator *de mandato ad Angelos* exponit. Sed Calvinus hanc glossam repudiat, cum ait: *Ad angelos restringere non est necesse verbum mandandi: quia etsi illorum opera utitur Deus ad suos tuendos, quia tamen innumera media servandi penes eum sunt, indefinitè accipio, Deum mandare de suorum salute, quod decrevit, quoties favorem suum palam exerit aliquo signo & nunc solo nutu, nunc per homines vel alias creaturas exequitur, quod apud se statuit.* Et ut צוה annunciationes sive significationes gratiosas, quas promissiones vocamus, denotat, ita & iratas & vindicatrices innuit, quas *comminationes* appellamus. Thren. 2, 17. *Facit Iehova, quod cogitaverat, perficit sermonem suum, quem præceperat à diebus priscis, destruit non utens clementia &c.* Sanè in loco nostro non inconcinnè ita interpretari possis, ut gradatio quædam sit & primum asseratur Dei omniscientia: *Dominus videt*; deinde providentia in annunciando & comminando, ut sensus sit: *Quis tam insanire potest, ut dicat, aliquid factum esse, scilicet eo modo, quo dictum, Domino non intuente. Imò Dominus significavit, comminatusque est omnia ista mala.* vel: *nonne Dominus annunciavit omnia?* Et hoc dubio procul respectu significatur, *tam mala quam bona ab ore Excelsi prodire*, scil. Deo denunciante, comminante aut promittente, ordinante. Nonnunquam etiam pro *immissione* sive *emissione* verbum illud accipi

cipi debet. Sic dicitur *præcipi benedictioni Lev.25,21. & Deut.28,8.* hoc est emitti & effundi benedictio. Sunt tam malâ, quam bona, sub potentiæ Dei cancellis atque carceribus, & emittere eadem idem potest pro lubitu. LXX. habent V. ἐπιτέλλειν. Esset igitur loci nostri ex consideratione significatuum adductorum hæc sententia: *In malis inprimis pœna nihil esse, quod lateat omniscientiam Dei, quod ille non significaverit Prophetis suis & comminatus fuerit, quod non permittere possit, imò & immittere soleat justo judicio, & determinare atque ordinare ad sanctum finem, atque ita circa extremam malitiam operari præceptionibus inviolabilibus, ut gloria Dei exinde elucescat.*

§. 14. *Maccovij argumentum examinatur.*

Valdè igitur obscurum est, quomodo Lamentatoris divini interrogationem suo themati accommodare velit Maccovius. Ita enim concludet: *Quo non præcipiente, nemine dicente potest aliquid existere, ille nunquam suo frustratur fine, adeòq; non habet voluntatem inefficacem. At Deo non præcipiente nemine dicente potest aliquid existere. Ergo Deus nunquam frustratur suo fine, adeoq; non habet voluntatem inefficacem.* Major probabitur: quia ubicunque Deus suo frustratur fine, atque adeò aliquid non fit, quod voluntate Dei designatum erat, ibi aliquid existit Deo non præcipiente, sed homine potius dicente. Minoris robur collocatur in loco, quem jam copiosè expendimus. Sed observari potest ad majorem 1. eam solidam non esse. Nam partim Deus potest disponere & actu ipso disponit circa ea, quæ voluntati ipsius sanctissimæ repugnant, & in quibus finis immediatè intentus à Deo non obtinetur; partim etiam, quæ existunt contra præceptum divinum, non omninò extra omnem finem divinum posita sunt. Novit enim providentia incomprehensibilis, admirabiliter omnia disponens & fortiter ad effectum dirigens, etiam reluctantia in aliquem redigere ordinem & attemperare pulchritudini regiminis supremi. Minorem 2. in superioribus exposuimus, ubi naturam præcepti hujus catholici explicavimus, ut nihil præsidij Maccovio supersit.

§. 15. *Ante Dei Voluntate ex eventu judicandum?*

De Dei *voluntate ex eventu judicandum esse*, cum grano salis accipiendum est. Verbum Dei aliàs certissima Voluntatis Dei regula est, nec fallitur quisquam, qui illius inhæret revelationibus. Neque enim aliud arcano decreto complectitur, quam significat pate-

patefactionibus beneficis Deus. Habet quidem sua imperveſtigabilia judicia & vias imperſcrutabiles, ſed quas notas nobis fecit vias, quæ judicia verbo expoſuit ſuo, illas & illa ita æterno decreto comprehendit, ut voluntas ejus inde nobis conſtaret. Non equidem omnium, quæ agere in tempore decrevit Deus, judicia viaſque nobis aperuit, plurima in theſauris ſapientiæ infinitæ nondum detecta nobis deliteſcunt. Sed ad illa non tenemur reſpicere in ſalutis noſtræ gubernatione, cujus perpetuam regulam verbum ſalutare præſentat. Hæc interim ipſa, quæ in expreſsâ ſalutis noſtræ ratione nobis propoſita ſunt, imperſcrutabilia nobis ſunt & imperveſtigabilia. Sanè quando Apoſtolus Rom. 11. exclamat v. 32. ὦ βάθος &c. reſpicit ad patefactam & ipſo etiam eventu quadantenus expreſſam divinam gubernationem Eccleſiæ, quæ omninò ſupergreſſa ſit hominis ſcientiam. Quomodo igitur ex eventu de Dei voluntate judicandum eſt? Si eventus reſpondeat revelationibus divinis, de voluntate Dei dubitandum non eſt. Aut enim venit creatura in communionem cum creatore, & certiſſimum eſt, voluntatem creatoris fuiſſe, ſeſe cum creatura taliter communicare. Eſtque hoc argumentum ampliſſimæ infinitæque bonitatis creatoris, qua ſe communicare cum creaturis ad leges ſapientiæ divinæ ſolet. Si verò disgregatio fiat detrimentoſa creaturæ à Creatore, jam altera quædam voluntas creatoris colligi poteſt, quæ & revelata eſt, qua ſe legibus ſapientiæ adverſanti creaturæ diſſociat. Si verò eventus non reſpondeat verbo, inprimis mandanti & promittenti, jam certum eſt voluntati divinæ repugnari. Nihilo tamen minus permittit iſta Deus, quæ tali eventu voluntatem ſempiternam impugnant. Proinde ad voluntatem permittentem, quæ ſanctiſſima eſt, iſta referenda ſunt. Graviter B. Auguſtinus de Trinit. III, 4. quæ verba etiam producit Lambert. Danæus ad P. Lomb. I. ſent. diſt. 45. c. 5. p. 711. *Sed*, inquit, *quemadmodum corpora craſſiora & inferiora per ſubtiliora & potentiora quodam ordine reguntur: ita omnia corpora per ſpiritum vitæ, & ſpiritus vitæ irrationalis per ſpiritum vitæ rationalem, & ſpiritus vitæ rationalis deſertor atq; peccator per ſpiritum vitæ rationalem pium & juſtum, & ille per Deum ipſum: & per hoc voluntas Dei eſt prima & ſumma cauſa omnium corporalium ſpecierum atque motionum.*

num. Nihil enim fit visibiliter & sensibiliter, quod non de interiore & invisibili atque intelligibili aula summi Imperatoris aut jubeatur, aut permittatur secundum ineffabilem justitiam præmiorum atque pœnarum, gratiarum atque retributionum, in ista totius creaturæ amplissima republica.

§. 16. *An si aliqua Voluntas Dei inefficax dicatur, beatitudo Dei summa violetur?*

Dicis, *si aliqua Dei voluntas esset inefficax, adeòque suo frustraretur fine, tum certè sequeretur, Deum non fore beatissimum summè, quod falsum est, quia Deus est ipsa beatitudo, beatitudo independens.* Consequentiam probas: *nam si quæras ex nobis, in quo Deus magis acquiescat, si aliquid eveniat, in eone quod evenire vult, an in eo, quod non vult? neminem futurum, qui non dicturus sit, in eo, quod vult & evenit. Sic ergo tantum decederet de beatitudine Dei, si eveniat aliquid, quod nolit, quantum decedit de ejusdem acquiescentia & beneplacito; si autem aliquid decedit, deest ipsius beneplacito & acquiescentiæ. non est ergo summè bonus.* Respond. omninò Deo maximè competere beatitudinem omnium maximam & supremam. Intelligimus enim sub nomine beatitudinis nihil aliud, quam perfectum intellectualis naturæ bonum, cujus est, suam sufficientiam agnoscere in bono, quod habet: & cui competit, ut ei contingat aliquid vel malè vel benè, & sit suarum operationum domina. Utrunque autem istorum excellentissimè Deo convenit, quia & perfectissimus est & intelligentissimus. Estque illa omnium bonorum aggregatio in Deo, non per modum compositionis, quod imperfectionem & dependentiam arguit, sed per modum simplicitatis, quod absolutam perfectionem & fruitionem tranquillissimam indicat. Quæ enim in creaturis multiplicata sunt, in Deo simpliciter & unitè existunt, imò unum sunt. Pulchrè Gregorius M. lib. 32. Moral. in Job. c. 5. *Ipse gloriosus est, qui dum seipso perfruitur, accedentis laudis indigens non est.* Et Thomas Aquinas part. 1. Summæ q. 26. art. 4. *Dicendum*, inquit, *quod quicquid est desiderabile in quacunque beatitudine vel verâ vel falsâ, totum eminentius in divina beatitudine præexistit. De contemplativa enim beatitudine habet continuam & certissimam contemplationem sui & omnium aliorum: de activâ verò, gubernationem totius universi: de terrenâ verò felicitate, quæ consistit in voluptate, divitiis, potestate, dignitate & famâ, secundum Boëthium in 3. de Consol. habet gaudium de se & de omnibus*

aliis

alys pro delectatione, pro divitys habet omnimodam sufficientiam, quam divitiæ promittunt: pro potestate, omnipotentiam; pro dignitate, omnium regimen; pro fama verò, admirationem totius creaturæ. 2. Beatitudo itaque divina non consistit in unius divinæ perfectionis, æternæ volitionis, amatæ operationis & sapientis dispensationis fruitione & acquiescentia. Deus in omnis suæ perfectionis, volitionis, operationis, dispensationisque amplitudine est objectum, quod ipse in fruitione sui & acquiescentia in se intelligit, comprehendit, amplectitur. Non potest igitur fruitioni & acquiescentiæ ipsius in se ipso aliquid decedere, cum infinitus infinito fruatur, infinitus in infinito acquiescat. 3. Asserimus ergo, beatitudinem Deum invenire in voluntate sua antecedente, cui sæpissimè repugnatur, etiamsi in ipsa repugnantia nec beatitudo sit, nec complacentia, nec acquiescentia. Illa enim voluntas antegrediens, quam nos docemus, infinitè opulenta, benefica, potens, gratiosa, sapientissimè in mortalium reductionem disposita est. Quare ergò objectū beatitudinis divinæ esse non posset? Rursus, quod permittit Deus repugnare & fieri aliquid, quod nō vult, objectum beatitudinis divinæ esse potest, licet vitium, quo repugnatur, & malitiam, quæ fit, quam non vult Deus, objectum illius esse nequeat. Illa enim ipsa permissio divina repræsentat summā sapientiam, quæ permissione mali majus bonum elicit, & summā potentiam, quæ malo grassanti modum & terminum constituit, & cæteras perfectiones, quas Deus malo opponit. Plenissimè autem beatitudo divina emergit, si non abruptè & seorsim, sed in illo perfectissimo apotelesmate voluntas divina æstimetur, quod ex subordinatione decretorum divinorum consequitur. Ibi enim omnibus confluentibus & concurrentibus repræsentatur omnimoda pulchritudo, varietas, sapientia, gratia, justitia, sanctitas & quicquid perfectionum considerari & cogitari poterat. 4. Pronunciamus ergo, Deum non acquiescere ullo modo in eo, quod non vult, neque in eo beneplacitum habere, neque beatitudinem quærere, quam non nisi in se habet, nullibi extra se & nuspiam & nunquam collocat. Acquiesceret autem optimus Maximus Deus, si eveniret id, quod vult, id namque beneplacito divino consentaneum foret. Neque tamen propterea decedit aliquid acquies-

centiæ & beneplacito divino, cum non evenit. Neque enim id, quod juxta beneplacitum divinum eveniſſet, conſtituiſſet aliquē gradum perfectionis & beatitudinis ſummæ. Sed interim tamen in intellectu divino perfectiſſimè eſt, velut objectum poſſibile & ordinabile ad finem ſummum pulchritudinis, quod & ſi extitiſſet, beatitudinis divinæ fuiſſet documentum. Illud ipſum objectum, etſi in ipſa rerum exiſtentia non repræſentatum, amabile nihilominus Deo eſt, Deus illo fruitur, tanquam ſapientiæ ſuæ quapiam quaſi idea in ſe, & infinitæ delectationis habet dulcedinem. Dicimus ergò cum Auguſtino, tum deceſſurum fuiſſe aliquid de beneplaciti acquieſcentiæque divinæ plenitudine & beatitudine, ſi & non id eveniret, quod vult, & dum id evenit, quod non vult, non liberè permitteret, ſed cogerètur permittere, nec eum, à quo id evenit, quod non vult, poſſet ſua poteſtate invictè ad finem beneplacentiæ ſuæ adigere, & ex eo, dum permiſit, quod non vult, nequiret ſecretiſſimis ſapientiæ ſuæ vijs elicere incomparabiles acquieſcētiæ & beneplaciti divitias. Sic verò manet omninò ſummè beatus.

§. 17. *An Dei voluntas neque circa res, neq; circa actiones ſit inefficax?*

Dicis, *ſi in aliquo voluntas Dei eſſet inefficax, aut erit inefficax circa res ipſas, aut circa actiones rerum. Non circa res; nam res poteſt facere, quas vult. Non circa actiones: 1. quia prævidiſſet (præſcit autem omnia) voluntatem ſuam circa hujus vel illius rei actiones inefficacem fore: an veriſimile eſſet, rem hanc facturum fuiſſe, quæ agrè ipſi facturæ eſſet? Minimè certè. 2. Si prævidit circa actiones quarundā rerū voluntatem ſuam inefficacem fore, cur has ſolas non creavit, illis omiſſis? 3. ſi quædam noluit à creatura fieri, annon poterat creaturam ita facere, ut hæc non evenirent ab ipſa, quæ noluit? omninò certè. Nam quod non implicat contradictionem, hoc Deus poteſt. Nulla autem contradictio eſt, ut eam creaturam faciat, quæ non peccet: cum nulla contradictio ſit, ut creaturam faciat, quæ peccavit, ut ampliùs peccare non poſſit, quod facturus omnibus fidelibus in vita futura.* Reſpondemus, dicto ſenſu tam circa res, quam circa actiones voluntatem Dei eſſe interdum inefficacem, non *potentiæ defectu*, quæ utrinque & adeſt & diſpenſatur à voluntate Dei, ut adeoque nec deſit nec minuatur aliquid in Deo, ſed *malitiæ motu*, quo & circa res & circa actiones interciditur voluntatis divinæ beneficæ concurſus & ſuſpenditur.

ditur. Esto nobis Exemplum è Gen. 38, 9. 10. ubi malitia Onanis, ordini divino adversaria, interrupit concursum divinum ad seminis fratri excitandi benedictionem. Itaque posteri illi, qui Gero è Thamare agnascituri fuissent Deo volente & ordinante, ob Onanis pervicaciam consecuti non sunt. Concludimus ita; *qui non solum ob mollitiei fœditatem, sed etiam propterea à Deo punitur, quod effundendo semen noluerit fratri suo semen excitare & posteros, cum illo concurrere voluit Deus ad posterorum generationem, qui concursus ista Ordinis divini violatione inefficax fuit: Onanus non solum ob mollitiei fœditatem, sed etiam propterea a Deo punitur, quod effundendo semen noluerit fratri suo semen excitare & posteros. Ergo cum Onano concurrere voluit Deus tanquam causa prima ad posterorum generationem, qui concursus ista Ordinis divini violatione inefficax fuit.* Majorem probamus: quia si Deus nullo modo voluisset cum Onano ad posteritatis fratri suo excitandæ propagationem concurrere, partim non specialis & extraordinariæ vindictæ irrogatione à Deo fuisset punitus, partim ob ipsam fœditatem mollitiei duntaxat fuisset punitus. Minor constat ex ipso contextu: *Ille sciens non nasci sibi filios, introiens ad uxorem fratris sui, semen fundebat in terram, ne liberi fratris nomine nascerentur, & idcirco percussit eum Deus, eò quod rem detestabilem faceret.* Wolf. Musculus Comm. h. l. *Erat hoc facinus Onan morte dignum. Peccabat enim primùm in Deum ipsum, cujus constitutionem primævam pessundabat. Deinde in ipsam naturam humanam, semen perdens, unde illa constat & propagatur: Tertiò in Israelem ac populum Dei, cui detrahebat, unde secundum promissionem Dei multiplicari debebat. Quartò in Patrem suum, cujus voluntati & jussui adversabatur. Ingrediebatur quidem ad uxorem fratris sui & libidini vacabat: verum semen fratri excitare detrectabat, quod unum pater requirebat. Quintò peccabat in fratrem quoque, cujus nomen & posteritatem, cum posset, in Israele servare nolebat: Quare non erat præter rationem, quod factum tot modis damnabile, usque adeo displicuit oculis Dei, ut eum occiderit.* Calvinus h. l. *Hæc maximè impietas damnatur nunc à Spiritu per os Mosis, quod Onam quasi violento abortu fratris sui sobolem ex utero materno avulsam, non minus crudeliter quam fœdè in terram projecit. Adde quod hoc modo generis humani partem, quantum in se erat, abolere conatus*

Loc. Gen. 38 v. 9. & 10. expenditur.

est. Si quamulier fœtum ex utero medicamentis abigat, inexpiabile censetur crimen, & meritò; eodem piaculi genere se obstrinxit Onam, terram suo semine inficiens, ne Thamar hominem conciperet futurum terræ incolam. Ita Mercerus, Paræus, Pelicanus, & alij plures h.l. Sic igitur voluntatē Dei multiplicādi inefficacē ostendimus circa rem. Quodcirca etsi Deus res possit facere, quas vult, non tamen facit, quas vult supposito definito earum ordine, nisi creaturæ servent præfixum ordinem, nec ab illo desciscant.

§. 18. *An cōgruum sit Deum rem sibi adversaturam facere?*

Circa ipsas *actiones* humanas divinam voluntatem sæpissimè ita versari, ut non assequatur antecedentem suam intentionem, & hoc sensu inefficacem esse, multis revelationum divinarum documentis deinceps demonstrabitur. Rationes in contrarium adductæ nihil efficiunt. Prima ita habet: Si Deus prævidisset suam voluntatem circa alicujus rei actiones inefficacem fore, nunquā rem voluntati suæ adversam & ægrè facientem fuisset facturus. Atqui fecit omnes res. Ergo nulla res voluntatem suam potest facere inefficacem. Negamus cosequentiam. Etiamsi enim circa rem aliquam quædam dispositio voluntatis divinæ non possit applicari cum effectus successu, non tamen omnis omninò inefficax erit. Satis autem est summo sapientissimoque enti, quia istæ dispositiones voluntatis suæ sunt propter bonum creaturarum factæ, ad quarum inefficacitatem nihil decedit bono summo atq; infinito, si omnia perfectissimè pulcherrimèque ordinentur ad ultimum finem, in quo concurrentibus omnibus intentionum divinarum lineis denique effulgescit summi Entis justitia atque sapientia. Sic igitur licet contra voluntatem divinam faciat illa voluntas, quæ se non conformat legibus cœlestibus, non tamen ægrè facit summo enti, ad quod nulla ægritudo potest accedere. Imò sibi ipsi ille, qui ordinem divinum in agendo relinquit, adeòque non id operatur, quod voluntas divina intendit, ægrè facit. Sanè cum in infinitam actionum seriem è speculâ omniscientiæ introspicit Deus, quæ ex collocatione nonnullarum creaturarum in proportionatam libertatem oritur, etiamsi innumerabiles non permittat, quæ in ipsa talium objectorum & circumstantiarum exhibitione infallibiliter orituræ fuissent, si ista darentur, tamen cum permittat plurimas oriri, quia non solum ex præscientia

permittit,

permittit, sed etiam ex voluntatis beneficentissimæ declaratione, & sapienter permittit illas oriri & justè, ut &, quæ post permissionem adnectuntur ex justitia vindicatrice pœnæ, antegressam culpam habeant, & Deus creaturis nullatenus defuisse declaretur.

§. 19. *An quia Deus prævidit, aliquarum creaturarum actiones à sua voluntate exerraturas, eas debuerit tantum creare, quas se illis conformaturas prævidit?*

Secunda ratio est: *Qui prævidet circa aliquas rerum sibi subjectarum actiones voluntatem suam efficacem fore, circa aliquas non, ille sapientissimè facit, si illas duntaxat creet, circa quas voluntatem suam efficacem fore cognoscit. Ratio est: Quia in libertate ipsius positum est, creare, vel omittere. At sapientissimè omnia faciens Deus, omnes illas res creavit, quarum hodie actiones contingunt. Ergo illas duntaxat creavit, circa quas voluntatem suam efficacem fore cognovit, omisso illo, quas repugnaturas præscivit.* Resp. ad majorem: id non esse requisitum ad necessariam sapientiæ legem. In his enim casibus potest etiam prævidens aliquas res à se productas efficaciam voluntatis suæ moraturas nihilominus producendo progredi, *primum* si ipsi prævidenti nihil exinde ullo modo vel damni vel dedecoris oriatur; *secundò* si ipse prævidens omnem justitiæ expleverit regulam: *tertiò* si non obligetur ad sistendum omnes actiones sibi contrarias; *quartò*, si ipsas sibi contrarias actiones incomparabiliter sibi subjicere & ordinare ad pulchritudinem universi sui instituti possit: *quintò* si è malis sibique repugnantibus actionibus bonum elicere possit eminenter compensans omnem rerum repugnantium operationes, & *sextò* si in sua potestate habeat illimitata producere res aut ex necessitate, aut ex libertate agentes & utentes potestate concessâ. Quæ in summo ente DEO quam maxim. è comparent. Is enim, ut ad minorem transeamus, etiam si prævideat ex rebus à se productis aliquas suas actiones & volitiones inefficaces reddituras, nihilominus procedere potest in agendo I. cum istarum repugnaturarum creaturarum nulla Deo vel damnum vel dedecus attulerit. In hoc enim casu, si præsertim aliæ causæ sint, nulla est ratio, quæ possit summum & liberrimum ens revocare à productione talium rerum. II. cum ille omnem justitiæ regulam in illis creaturis tum in seriem entium ritè collocandis, tum etiam in erogandis facultatibus atque auxilijs expleverit. Hoc namque casu non tam producentis beneficentia atque sapientia accusari poterit, quam rei productæ tur-

ctæ turpis exerratio & à regulis juſtæ diſtributionis conventioniſque deflexio. III. Cum ſe non obligaverit ad ſiſtendum actiones ſibi contrarias. Hoc enim caſu res ab eo conſtituta & producta, licet ſuis actionibus repugnet Deo, totam adverſariæ iniquitatis molem in ſe reſorbet, ut nihil in producentem redundare queat. IV. cum ipſas ſibi contrarias actiones incomparabiliter ſibi ſubijcere & ordinare ad pulchritudinem univerſi queat. Hoc enim caſu rurſus ſe indignum nihil admittit ſumma ſapientia. Imò dum ſibi ſubijcit univerſa, atque etiam extra leges cœlorum deflexa coercet, ordinat, moderatur, denique eximio & peculiari quodam eminentiæ ſuæ ſpecimine ad univerſam pulchritudinẽ ſulciendam accommodat, ſe ſummam ſapientiam eſſe ſatis demonſtrat. V. cum è malis ſibique repugnantibus actionibus bonum elicere poſſit, eminenter compenſando omnes rerum repugnantium operationes. Hoc enim caſu, etiamſi una voluntatis divinæ deſignatio non obtinuerit, non tamen univerſa non obtinet. Imò dum bonum in ipſis malorum incunabulis molitur Deus, & exingentibus infinitæ Sapientiæ receſſibus parit, quod omnem improbitatem permiſſam reſtaurat, rurſus tale tantumque ſe bonum oſtendit, quod finiti boni ſupergreditur lineas. VI. cum inprimis in ſua poteſtate illimitata & interminabili habuerit habeatque res aut ita producere, ut ex neceſſitate operentur, aut ita, ut ex libertate agant, utanturque poteſtate ſibi conceſſa. Hoc enim reſpectu, cum ex ipſa creaturarum varietate perfectionem pulchritudinemque univerſi conſurgere voluerit Deus, dum non omnes ex neceſſitate conditionis ad unum determinatas produxit, ſed aliquas liberas fecit, id fecit, quo potentiæ ſuæ profunditates teſtaretur. Licet namque ille non omnes in illa libertatis ordinatiſſima largitate habuerit ſibi morigeras, adeoq; primæ repræſentationis voluntatis ſuæ leges plurimæ fecerint irritas, dona deſtruxerint & peſſundederint, turbaverint ordinem, beneficentiam ſpreverint, optimum nihilominus fuit, quod optimus ille libertatem dedit, leges ſanxit, dona diſpenſavit, beneficentiam promulgavit, ordinem conſtituit, quem altioris ordinis remedio novit reſtaurare. Atq; ita etiam tertia ratio confutata eſt, qua quæritur; Si quædam noluit Deus à creatura fieri, annon poterat creaturam

turam ita facere sine ulla contradictione. Sed ut necessariò ita faceret, nulla vel potentiæ, vel sapientiæ, vel bonitatis, vel justitiæ ratione adigebatur. Potuit & ita facere, ut relinqueret creaturam etiam in abusu libertatis, qua non faceret, quæ voluntati suæ placerent. Nec hoc aliquam implicat contradictionem, & ad naturæ perfectionisque Dei declarationem per sapientiam æternam & inenarrabilem accommodatum est.

§. 20. *Athanasius de Voluntate Dei.*

Ita ad hanc quæstionem jam olim respondere soliti sunt pij Veteres. B. Athanasius Tom. I. Orat. contra Gentes p. 4. & seqq. *Primum hominem*, inquit, *ajunt scripturæ principio liberioris inverecundiorisque* (ita vertit Petr. Nannius; in Græco est ἀνεπαισχύντῳ παῤῥησίᾳ, est fiducia quæ nullam ab intempestiva erubescentia patitur remoram) *fiduciæ mentem erga Deum habuisse & cum sanctis conversatum esse in contemplatione intelligibilium, quam habuit in eo loco, quem Moses figuratè paradisum nominavit. Sufficit enim animæ puritas, ut Deum per se speculetur. Ita quidem opifex rerum genus humanum conditum in eo statu* permanere voluit: *sed ipsi neglectu meliorum tædioq; per vim ingenij ea persequendi, illa, quæ ipsis propinquiora erant, requisivere.* Idem in oratione de Incarnat. Verbi ad Macarium Tomo eod. p. 39. *Deus*, inquit, *bonus est, vel potius fons bonitatis. Bonus autem nullius rei invidia tangitur: Vnde nulli essentiam invidens, ex non entibus universa creavit per suum verbum Dominum nostrum Iesum Christum, inter quæ præ omnibus humanum genus misericordia prosequutus est. Animadvertens enim, eos conditione suæ naturæ perpetuo subsistere non posse, majus quiddam illis elargiturus, non simpliciter, sicut reliqua in terris animantia, sed ad suam ipsius imaginem illud effiguravit, deditque illis suæ rationis dotem, ut veluti umbras quasdam ac lineamenta rationis* (rectius *Verbi* scil. hypostatici, ad cujus participationem B. Athanasius alludit, vultque, quemadmodum per creationem τοῦ λόγου ὑποστατικοῦ totum genus humanum particeps factum est in Adamo & in singulis individuis particeps fieri debuit, ita ejusdem etiam in redemtione & ex redemtione particeps fieri debere universum) *possidentes rationalesque effecti perseverare possent in beatitudine, viventes veram & revera sanctorum in paradiso vitam. Animadvertens rursum arbitrium defectumque hominis utròq; vergere, maturè hanc gratiam, quam ipsis dederat,*

legis & loci præsidio communitam voluit. Introduxit igitur eos in suum ipsius paradisum, edictumque præscripsit, ut si gratiam illam conservarent, probique permanerent, fruerentur in Paradiso, sine mœrore, sine anxietate hilarissima vita, præter etiam id, quod ipsis in cœlo immortalitas destinata erat. Si autem prævaricationem facerent, & ad improbitatem averterentur, cognoscerent, se per mortem pro ipsorum natura corruptionem subituros, neque victuros in paradiso, sed extra paradisum postmodum morituros & in morte corruptioneque permansuros esse. & post. Ad istum igitur modum Deus hominem fecerat & in incorruptibilitate perseverare volebat: homines autem contra spreta rejectaque Dei cognitione, excogitatis prava sua ratione malis, prædenunciatam mortis condemnationem acceperunt, neque jam inde, quales conditi erant, remansere. Et post. Obsta magis ac magis invalescente morte ac corruptione contra homines perdurante, genus quidem hominum extinguebatur, ipse autem ille rationalis & ad imaginem creatus homo obliterabatur, & opus illud à Deo factum simul interibat, & mors ex lege vim suam contra nos obtinebat, nec ulla spes erat effugiendæ legis, quia ea à Deo propter prævaricationem lata erat, fuitque ea res planè absurda & indecora. Absurdum enim, Deum in suis verbis mentiri, si, cum legem statuisset, morte moriturum hominem, quandocunque mandatum prævaricaretur, mortem tamen post prævaricationem effugeret, nec verbis illis adstringeretur. Non enim verus Deus fuisset, si cum dixisset, nos perituros, non perïssemus. Indecorum rursum erat, eos, qui semel creati erant rationales, & ipsius rationis participes facti pariter, extingui & denuo ad non existendi naturam per corruptionem resolvi. Id enim indignum erat bonitate Dei, si, quæ ab ipso creata essent, in interitum abirent, ob Diaboli adversus homines fraudem. Quin imò indecentissimum erat, Dei artem (τέχνην) in hominibus extingui vel per ipsorum incuriam vel per dæmonis impostura. Pereuntibus igitur rationalibus hominibus unàque cum illis tanto artificio obsolescente, quid quæso Deum, qui bonus erat, oportebat facere? Permitteretne corruptionem contra eos vim suam habere ac mortem ipsis dominari? Ad quid necessum fuit, eos vel semel creari? præstabat eos non genitos, quam genitos neglectui dari & intercidere. Nam ex istiusmodi incuria magis imbecillitas Dei, quam bonitas appareret, in sinendo opus suum perire, quam si nunquam condidisset hominem. Si enim nunquam

homines

homines condidisset, nemo imbecillitatem in eo suspicaretur. Vbi autem eos condiderat & esse voluerat, absurdum indecorumque erat, ejus opera interire, idque potissimum sub ipsius opificis conspectu. Non igitur fas erat ita apparere, quasi ipse sineret hominem corruptioni mancipari, quia id indignum ac minimè conveniens divinæ bonitati. Vt igitur par erat istud in contrarium fieri, ita è diverso magna cum ratione obstabat lex, quæ de hominum interitu promulgata fuit. Absurdum quippe erat ob nostram utilitatem perdurationemque Deum veritatis patrem mendacem videri. Quid igitur ea in re factum oportuit, aut à Numine agendum erat? Pœnitentiamne super prævaricatione ab hominibus exigere? Id enim Deo non indignum censueris, dicens, quod quemadmodum ex prævaricatione corruptio nata esset, ita ex pœnitentia incorruptibilitas renasceretur. Atqui ista pœnitentia non ex æquo & bono cum Deo egisset. (ἔτε τὸ ἔυλογον τὸ πρὸς τὸν Θεὸν ἐφύλαττεν.) *Nam ne sic quidem ille verus fuisset, si non perpetuò mortales in mortis detentione permansissent. Pœnitentia enim rem à sua natura non abducit, sed solummodo cessationem à peccando facit. Quocirca si duntaxat peccatum fuisset, nec corruptio subsecuta esset, pulchrè se haberet ipsa pœnitentia. Sin autem ideò homines, quia prævaricatio jam antecesserat, sub ea, quæ est contra naturam, corruptione detinebantur, gratiamque imaginis in se perdiderant, quid quæso aliud decuit fieri, aut cujus opera ad recuperandam istam gratiam requirebatur, nisi solius verbi, quod ab initio omnia ex nihilo condiderat? Ejus enim fuit, id, quod corruptibile erat, iterum ad incorruptibilitatem reducere, & pro omnibus, id quod æquum rationique consentaneum erat, Patri præstare &c.* Hæc Athanasius de toto permissionis peccatorum & redemtionis generis humani opere prolixè, quæ ideò non piguit adscribere, quia has & connexas quæstiones erudito venerandæ antiquitatis judicio simplicissimè planissimèque solvit.

Basilius M. in homil. *quod Deus non est autor malorum*, ex translatione Jani Cornarij ita habet: *Animam fecit Deus, non peccatum: vitiata autem est anima ex naturali statu emota. Quod verò erat ipsi præcipuum bonum? Assessio Dei & conjunctio per dilectionem, à qua vbi excidit, varijs & omnis generis morbis vitiata est. Cur autem ad malum suscipiendum apta fuit? Propter liberum arbitrium, quod maximè rationalem naturam decet. Soluta enim ab omni necessitate,* §. 21. *Basilius de voluntate Dei.*

ſitate, & voluntariam ac in ſua poteſtate ſitam vitam à conditore adepta, per hoc, quod ad imaginem Dei creata eſt, intelligit quidem bonum & novit ipſius fruitionem & permanens in boni ſpeculatione ac intelligibilium fruitione, libertatem & poteſtatem habet conſervandi ſuam ſecundum naturam vitam. Habet autem poteſtatem etiam declinandi aliquando à bono. Id ipſum verò contingit ei, cum ſatietate beata delectationis & velut dormitatione quadam gravata & à ſupernis dilabens, propter turpes voluptatis illecebras, carni fuerit admixta. Erat aliquando Adam in ſupernis, non loco ſed voluntate, cum nuper accepta anima ad cœlum reſpiceret, & ex his, quæ videbat, lætitiam conciperet, benefactoremque valdè diligeret, qui vitæ quidem æternæ fruitionem largitus eſſet, in delitijs verò paradiſi in quiete locaſſet, & principatum ſimiliter ut angelis dediſſet, ipſumque contubernalem archangelorum feciſſet, & divinæ vocis auditorem. Super hæc omnia protegebatur à Deo & voluptatum omnium brevi ſatur erat, & ex ſaturitate velut ad injurias procedebat, & quod carneis oculis jucundum videbatur, intelligibili pulchritudini prætulit & ventris ſatietatem ſpiritualibus voluptatibus potiorem duxit. Ex quo ſtatim extra paradiſum erat, & extra beatam illam vitam pulſus eſt, non ex neceſsitate malus, ſed ex temeritate factus. Quapropter peccavit quidem ob pravam voluntatem, mortuus eſt autem ob peccatum. Stipendium enim peccati mors eſt. Quantum enim decedebat à vita, tantum appropinquabat ad mortem. Vita enim eſt Deus, privatio vitæ mors. Quare ſibi ipſi mortem per ſeceſſum à Deo Adam paravit. Sic non Deus creavit mortem, ſed nos nobis ipſis ex prava mente attraximus. Nec verò prohibuit diſſolutionem per mortem propter prædictas cauſas, ut ne immortalem in nobis ægritudinem conſervaret. Quemadmodum ſi quis faſtidiens deſtillans non admoveat igni, donec vitium in ipſo exiſtens per reformationem perſanet. At cur, inquit, in ſtructura non habemus, ut ne peccemus & ut neque volentibus nobis peccare detur? Quia etiam tu famulos non cum vinctos habes, benevolos putas, ſed cum voluntariè ea, quæ officij ipſorum ſunt, explere videris. Itaque etiam Deo non gratum eſt, quod coactum eſt, ſed quod ex virtute rectè geritur. Virtus autem ex voluntate & non ex neceſsitate fit. Voluntas verò ex his, quæ in nobis ſunt, dependet. In nobis autem eſt liberum arbitrium. Qui igitur opificem reprehendit, quod non naturaliter conſtruxit nos, ut ne peccaremus, is nihil aliud facit,

Baſilius reſpondet Maccovio

facit, quam quod irrationalem naturam rationali præfert, & immobilem & concitationis expertem actuosæ & electionis voluntatem habenti. Sic Basilius. B. Augustinus etiam de similibus quæstionibus ex instituto disputat Tomo II. lib. XI. de Gen. ad Liter. c. 4. *Si quæritur, cur Deus tentari permiserit hominem, quem tentatori consensurum esse præsciebat? altitudinem quidem consilij ejus penetrare non possum, & longè supra vires meas hoc esse confiteor. Est ergò aliqua causa fortassis occultior, quæ melioribus sanctioribusque reservatur, illius gratia potius, quam meritis eorum, sed tamen quantum vel donat sapere, vel sinit dicere, non mihi videtur magnæ laudis futurum fuisse hominem, si propterea posset bene vivere, quia nemo malè vivere suaderet, cum & in natura posse & in potestate habeat velle non consentire suadenti, adjuvante tamen illo, qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Cur itaque tentari non sineret, quem consensurum esse ipse præsciebat altitudine consilij ejus, cum id facturus esset propria voluntate per culpam & ordinandus esset illius æquitate per pœnam, ut etiam sic ostenderet anima superba ad eruditionem futurorum sanctorum, quod rectè ipse uteretur animarum voluntatibus etiam malis, cum illæ perversè uterentur naturis bonis.* Cap. VII. *Talem,* inquiunt, *faceret hominem, qui nollet omninò peccare. Ecce nos concedimus, meliorem esse naturam, quæ omninò peccare nolit: concedant & ipsi, non esse malam naturam, quæ sic facta est, ut posset non peccare, si vellet, & justam esse sententiam, qua punita est, quæ voluntate non necessitate peccavit. Sicut ergò ratio vera docet, meliorem esse naturam, quam prorsus nihil delectat illicitum; ita ratio vera nihilominus docet, & illam bonam esse, quæ habet in potestate illicitam delectationem, si extiterit, ita cohibere, ut non solum de cæteris licitis rectèque factis, verum etjam de ipsius pravæ delectationis cohibitione lætetur. Cum ergò hæc natura bona sit, illa melior, cur illam solam & non utramque potius faceret Deus? Ac per hoc, qui parati erant de illa sola Deum laudare, uberius eum debent laudare de utraque. Illa quippe est in sanctis angelis, hæc in sanctis hominibus. Qui autem sibi partes iniquitatis elegerunt, laudabilemque naturam culpabili voluntate depravarunt, num quia præsciti sunt, ideò creari minimè debuerunt? Habent enim & ipsi locum suum, quem in rebus impleant pro utilitate sanctorum. Nam Deus nec justitia cujusque recti hominis eget, quanto minus iniquitate per-*

Augustin. de quæstis Maccabæi.

versi: Quis autem sobria consideratione dicat, melius non crearet, quem præsciebat ex alterius iniquitate posse corrigi, quam crearet etjam quem præsciebat pro sua iniquitate debere damnari? Hoc est enim dicere, melius non esse, qui alterius malo bene utendo misericorditer coronaretur, quam esse etiam malum, qui pro suo merito justè puniretur. Cum enim ratio certa demonstrat duo quædam non æqualia bona, sed unum superius, alterum inferius, non intelligunt tardi corde, cum dicunt, utrumque tale esset, nihil se aliud dicere, quam, solum illud esset. At sic cum æquare volunt genera bonorum, numerum minuunt, & immoderatè augendo unum genus, alterum tollunt. Quis autem hos audiret, si dicerent, quoniam excellentior sensus est videndi, quam audiendi, quatuor oculi essent & aures non essent? Ita si excellentior est creatura illa rationalis, quæ sine ullius pœnæ comparatione, sine ulla superbia Deo subditur, aliqua vero in hominibus ita creata est, ut in se Dei beneficium non possit agnoscere, nisi alterius videndo supplicium, ut non altum sapiat, sed timeat, id est, non de se præsidat, sed confidat in Deum, quis rectè intelligens dicat, talis esset ista, qualis illa, nec videat, se nihil aliud dicere, quam, non esset ista, sed sola esset illa &c. Confer eundem de C. D. XXII, 30. Cyrillum *in dialogo de adoratione in spiritu ad Palladium p. 150. & contra Iulianum Apost. lib. 3. p. 20.* ubi è Porphyrio & Alexandro simili Juliani quæstioni respondet.

§. 22. *Tertullianus contra Maccovium*

Antiquissimus Tertullianus Maccovio jam respondit, cum Marcioni. Plurima contra Maccovium disseruit lib. 2. contra Marcionem cap. 5. & 6. annotemus duntaxat ea, quæ cap. 7. disputata sunt. *Exigere*, inquit ad Marcionem, *à Deo debes & gravitatem summam & fidem præcipuam in omni institutione ejus, & desinas quærere, an Deo nolente potuerit aliquid evenire. Tenens enim gravitatem & fidem Dei boni, sed rationalibus institutionibus ejus vindicandas, nec illud miraberis, quod Deus non interceſserit adversus ea, quæ noluit evenire, ut conservaret ea, quæ voluit. Si enim semel homini permiserat arbitrij libertatem & potestatem, & dignè permiserat, uti ostendimus, utique fruendas eius ex ipsa institutionis autoritate permiserat, fruendas autem quantum in ipso, secundum ipsum, id est, secundum Deum, id est, in bonum. quis enim adversus se permittet aliquid? quantum vero in homine, secundum motus libertatis ejus. Quis enim non hoc præstat ei, cui quid semel frui præstat, ut pro animo & arbitrio suo fruatur.*

tur? Itaque consequens erat, uti Deus secederet à libertate semel homini concessa, id est, contineret in semetipsa & præscientiam & præpotentiam suam, per quas intercessisse potuisset, quo minus homo malè libertate sua frui aggressus in periculum laberetur. Si enim intercessisset, rescidisset arbitrij libertatem, quam ratione & bonitate permiserat. Deniq; puta intercessisse, puta rescidisse illum arbitrij libertatem, dum revocat ab arbore, dum ipsum circumscriptorem colubrum à congressu femina arcet, nonne exclamaret Marcion, ô Dominum futilem, instabilem, infidelem, rescindentem, quæ instituit. Cur permiserat liberum arbitrium, si intercedit? Cur intercedit, si permisit? Eligat, ubi semet ipsum erroris notet, in institutione, an in resciſione? Nonne tunc magis deceptus ex impræscientia futuri videretur, cum obstitisset? & quod quasi ignorans quomodo evasurum esset, indulserat, quis non diceret? Sed et si præscierat, malè hominem institutione sua usurum, quid tam dignum Deo, quam gravitas, quam fides institutionum qualiumcunq; ? Vidisset homo, si non bene dispunxisset, quod neque acceperat, ipse legi reus fuisset, cui obsequi noluisset, non ut legislator ipse fraudem legi suæ faceret, non sinendo præscriptum ejus impleri. Hæc dignissimè peroraturus in creatorem, si libero arbitrio hominis ex providentia & potentia, quas exigis, obstitisset, nunc tibi insusurra pro creatore & gravitatem & patientiam, & fidem, institutionibus suis functo & rationalibus & bonis.

§. 23. *Vrsinus contra Matcovium.*

Accedit ad consensum antiquitatis Zachar. Ursinus oper. Theol. Vol. 1. pag. 222. edit. Neostad. *Si urgeant*; qui non prohibet peccatum, cum prohibere possit, ne fiat, in eo est aliqua peccati causa & culpa. Deus permittit, cum posset prohibere. Ergo aliqua in eo peccati causa & culpa est. *Negamus consequentiam, quia major non est universalis. Est enim vera tantum de eo, qui non perfectè odit peccatum, & ideò non impedit illud, cum potest: & qui obligatus est ad impediendum peccatum ne fiat. Non autem vera est de Deo, qui ineffabili ira execratur & damnat peccatum, nec tamen impedit, quo minus fiat, quia neque ad hoc obligatus est cuiquam, neque sine optimis & justissimis causis illud permittit.* Et post. *Denique ajunt*; Quod volens Deus permittit, hoc vult fieri. Peccatum autem permittit volens: E. peccatum vult fieri. *Sed major neganda est: Permissionem enim, hoc est, privationem spiritus & gratiæ suæ vult Deus, peccatum*

tum verò creatura concurrens non vult, quia neque intendit illud, neq; approbat. Confirmant ipsi majorem hoc argumento: Permittere aut est nolle, aut est velle, sed non est nolle; alioquin aut non fieret, quod Deus dicitur permittere, aut Deo nolente aliquid fieret: quorum utrumque est absurdum. Ergò idem est, quod velle. Et per consequens Deus permittens peccatum vult peccatum. *Negamus consequentiã: quia non est sufficiens enumeratio in minore. Deus n. dupliciter velle & nolle aliquid dicitur, videlicet, velle aut quoad approbationem & effectionẽ simul, aut quod approbationem tantũ, sub qua & mandatũ comprehenditur, non a. quoad effectionẽ. Nolle a. dicitur quippiã quoad improbationem & prohibitionẽ effectus simul, aut quoad improbationem tantũ, non autem quoad inhibitionẽ. Vtraq; species voluntatis in majori comprehenditur. Sed in minore tantum altera, videlicet, quæ est improbare simul & impedire ne fiat. Sic enim si nollet peccatum fieri Deus, sequerentur absurda, quæ dicunt. Nos verò cum nolle Deum peccata dicimus, ea displicere ipsi seriò & tamen à Deo, quo minus fiant, non impediri intelligimus, quod ipsum etiam non est velle, sed nolle peccatum. Nihil enim Deus velle potest nisi ipsius naturæ & bonitati conveniens: nec usquam, quæ naturæ ipsius adversantur, quatenus talia sunt, velle Deum supra scriptura dicit.*

§. 24. *An sententia de Voluntate inefficaci Dei tollat rerum ab eo dependentiam?*

Dicis, *si aliqua voluntas Dei est inefficax, tum oportet res aliquas alio ordine agi, quam voluit Deus: non suberunt ergo istæ res quoad cursum suum providentiæ Dei; non ergo potestas Dei & imperium sive gubernatio erit in omnes res. non ergo futurus est supremus rerum omnium Dominus; secundo spectator tantum futurus earum rerum, quæ se ejus potestati exemerunt & quæ alio ordine aguntur, ac ipse vult: tertiò istæ res non dependebunt à Deo in suo agere, proinde nec in esse: nam si in agere non dependebunt, non dependebunt in seipsis conservandis: se ergo conservabunt independenter: ergo in suo esse non dependebunt à Deo; quod est absurdum.* Mira hæc quidem ratiocinationum vertigo. Respondemus 1. cum voluntati Dei alicubi non respondet imperatus & à se per idonea media ordinatus effectus, hoc non fieri *per alium ordinem*, sed per *aliquam deordinationem*. Peccatum semper manet ἀτακτία & ἀνομία, nunquam fit ordo, nunquam legitimum. Est igitur semper aliud & alienum à voluntate & ordine Dei. Quid enim? Dicetne Maccovius, peccatum pertinere

ad ordi-

ad ordinem Dei? Deordinationem peccati esse ordinem Dei? Profitemur sapientiam divinam & posse, & reipsa præstare, ut ex accidente præterque genium indolemque suam peccatum ordinetur & ex eo eliciatur id, quod ad pulchritudinem perfectionemq; universi pertinet. Disputant hac de re apud Augustinum de ordine l. 7. Trigetius & Licentius; Trigetius ita concludit: *Si mala ordine continentur & ipse ordo manat à summo Deo, atque ab eo diligitur, sequetur, quod & mala sint à Deo & quod mala Deus diligat.* Licentius verò respondet: *Non diligit Deus mala, nec ob aliud, nisi quia ordinis non est, ut Deus mala diligat: ordinem verò multum diligit, quia per eum non diligit mala: at verò ipsa mala, qui possunt non esse in ordine, cum Deus illa non diligat? Nam iste ipse est malorum ordo, ut non diligantur à Deo. An parvus rerum ordo tibi esse videtur, ut & bona Deus diligat, & non diligat mala? Ita nec præter ordinem sunt mala, quæ non diligit Deus, & ipsum tamen ordinem diligit, hoc ipsum enim diligit, diligere bona & non diligere mala, quod est magni ordinis & divinæ dispensationis. Qui ordo atque dispositio, quia universitatis congruentiam ipsa distinctione custodit, fit ut mala etiam esse necesse sit.* Hoc modo malum licet sit *contra ordinem* voluntatis divinæ, adeoque mera inordinatio, non tamen *extra ordinem* est, quia *supra Deum* non est. Ita enim Augustinus de Civ. Dei XI, 18. *Neque Deus*, inquit, *ullum non dico angelorum, sed vel hominum crearet, quem malum futurum esse præsciisset, nisi pariter nosset, quibus eos bonorum usibus commodaret, atque ita ordinem seculorum tanquam pulcherrimum carmen ex quibusdam quasi antithetis honestaret.* & L. XIV, 26. *Omnipotenti Deo, summo ac summè bono creatori omnium naturarum, voluntatum autem bonarum adjutori ac remuneratori, malarum autem relictori ac damnatori, utrarumque ordinatori non defuit utique consilium &c.* Quando verò idem Augustinus Confessionum I, 10. ait, *Deum peccatorum tantum non ordinatorem esse*, & in resp. ad articulos falsò sibi impositos art. 10. *peccatum puniri, non disponi à Deo*, de ordinatione & dispositione antegrediente & prædeterminante sermocinatur, quam Maccovius consectatur. Malum itaque non intra se & in se, sed extra & supra se habet ordinem. Si quis tamen omninò in malo ordinem esse asseverare velit, quo Diabolus architectus succenturiatæ malitiæ nectit cuneos & adornat

insidias & fallacias componit & format imagines, & sollicitat species & supponit fulcimenta, & introducit autoramenta, eum abuti vocabulo & reipsa dicimus. Rectè Æneas Gazæus è quinto seculo *in dialogo* de animæ immortalitate & corporum resurrectione inquit: *Ipse avarus non recto quidem fertur ordine; at perversum avaritiæ ordinem Deus in ordinem atque in viam rectam reducit, idque ceu artifex optimus. Ergò injuria facta ei, qui fecerit, imputatur ceu peccatum: ei verò qui passus fuerit, injuriam, saluti potius est quam damno.* II. Etiamsi alium ordinem instituant creaturæ, quæ desciscunt à voluntate Dei, qui tamen inordinatio potius, quam ordo dici meretur, non tamen illæ non suberunt quoad cursum suum providentiæ Dei. Ille enim degenerando & deordinando institutus ordo *secundum dici* non est extra aut supra Deum, ideoque nec supra aut extra providentiam Dei. Ille enim ordo etsi currat contra voluntatem Dei universalem, promtam, beneficam, omnibus pronam & profuturam, subest tamen eatenus potestati Dei, quatenus liberum est ei, permittere illam deordinationem, aut non permittere. Permissionis illa arbitratio providentiæ divinæ actus est manifestissimus, de quo supra satis superque dictum est. III. Manet potestas & imperium Dei in omnes res, etiamsi aliquarum rerum aliqua sit adversus voluntatem Dei repugnantia. Ut enim illam repugnantiam Deus admittat, sub potestate & imperio Dei est, quamvis repugnantia quà talis non sit ex potestate & imperio ejus. Insuper in ipsam repugnantiam sibi Deus vindicat imperium & potestatem, tum latitudinis, tum longitudinis, tum profunditatis, tum diuturnitatis ratione. IV. Manet igitur Deus supremus omnium rerum Dominus, quia & in ea dominari novit, quæ contra voluntatis ipsius sapientissimam dispositionem oriuntur in rebus. V. nulla creatura, contra ordinem & voluntatem divinam agens, eximit se potestati supremi Domini. Agit quidem contra voluntatem Domini, non tamen vel voluntati vel potestati Domini sese subduxit, ut sese eximere posset. Quæ enim voluntas Dei hoc de ipsis voluit beneficè, illa nunquam liberas & extra vincula positas creaturas pronunciat, sed suum inevitabilem decursum secuta, dum quod primum voluit non obtinuit, alterum indispensabiliter exequitur, quod consequenter decrevit. Eadem

ratio

ratio est potestatis divinæ, quæ se in superioritate sua liberrimè, sapientissimè & μακροθύμως laxat restringitque, sine ulla ejus imminutione. Quomodo igitur spectator tantum dici poterit?

VI. Dependentia sive in essendo sive in agendo, etiam posita voluntate Dei aliqua inefficaci, permanet indissolubilis. Quando enim creatura liberè deficit ab ordine divinitus instituto, non eximit se à dependentia & concursu divino. Ideoque etiam quando respuit voluntatis divinæ beneficia, nihilominus dependentia perseverantissima relinquitur. Neque enim in potestate creaturæ est, dependere à Deo vel non dependere, quoniam de intrinseca ratione creaturæ est à Creatore dependere: Creatura igitur potius est in potestate independentis Dei. Loquimur autem de dependentia ut sic loquamur physica, quæ in genere & ordine entis consideratur, non de dependentia morali. Sic enim sæpè creatura à legibus creatoris non dependet, sed autonomiam quærit & rapinam majestatis divinæ perpetrat.

§. 25. *An voluntas divina neq; circa mala neq; circa bona possit esse inefficax?*

Dicis, *si Dei voluntas esset inefficax, aut circa bona esset inefficax, aut circa mala: non circa mala; nam permissionem infallibiliter sequitur peccatum: non circa bona; nam quæ voluit fecit. Ergo nullo modo est inefficax, h.e. nunquam est irrita.* Respondemus & circa bona & circa mala Dei voluntatem antecedentem esse interdum inefficacem. Nam & multa bona non fiunt, quæ Deus exponendo & dispensando beneficam suam voluntatem fieri vellet; multa mala fiunt, quæ Deus auxilia & præcepta contra largiendo fieri nollet. Quomodo vero sequitur, *permissionem infallibiliter sequitur peccatum; Ergò voluntas Dei circa malum non est inefficax.* Estne permissio omnis actus voluntatis Dei circa malum? Verum ne est? circa quod permissio divina non est irrita, circa id nulla voluntas divina est irrita. At circa malum permissio divina non est irrita. Ergo nullus actus voluntatis divinæ circa malum est irritus. Ita quidem argumentaris. Sed quantâ cum aberratione quivis animadvertit. Nonne quando primum hominem voluntas Dei ornavit imagine sua & auxilijs instruxit efficacissimis, sub permissione tamen lapsus in malum, si eò voluntas hominis liberè contenderit, voluntas Dei perficiens & instruens contra malum eatenus inefficax fuit? Neque enim vel ante lapsum vel etiam in

primo lapsus molimine illa voluntas Dei perficiens & instruens hominem destituit omni sua efficacia, licet tantam non exeruerit, quanta irresistibiliter peccati molitio excluderetur. An permissionem infallibiliter sequatur peccatum, infra disquisituri sumus. Interim censemus discrimen omninò constituendum esse inter permissionem & desertionem. Illa cum positione concursus divini benefici & auxiliorum supernorum consistit. Unde non illicò permissione data in peccatum se creatura præcipitat. Desertio verò nudat creaturam suppetijs, adeoque ruina facilè sequi poterit. Sed demus permissionem divinam infallibiliter sequi peccatum, illa tamen infallibilis sequela non efficitur ex permissione seu vi permissionis. Permissio enim ut sic non dicit vel influxum sive concursum, vel efficaciam, sed intercisionem resistentiæ & negationem gradus in auxilijs malo opponendis tanti, quantus ad malum absolutè & invincibiliter repellendum est necessarius in omni intensione ejus. Et in Deo quidem oppositio resistentiæ planè est indebita, ut & elargitio tanti gradus. Omninò igitur nullam ista permissio efficaciam confert ad sequelam mali. Neque ut diximus voluntas permittendi malum, quod averruncare Deus in certo ordine, qui & sanctus & potens fuit ad id satis constitutus, tollit aut statim aut omninò voluntatem succurrendi, retardandi, illuminandi, percellendi & evehendi in Deo erga illum, quem permittit suis liberis motionibus, licet non obtineat, quod voluit. Circa bona non esse inefficacem unquam Dei voluntatem, probas ex Psalmo CXV. de quo satis §. 6. & seqq.

§. 21. *Quomodo ex Maccovij sententia sequatur, Deum esse causā peccati?*

Declinas grave & Christiano intolerabile ἔγκλημα, quo ista assertio de nullitate alicujus inefficacis in Deo voluntatis dicitur causam peccatorum in ipsum Deum derivare. *Si enim Deus circa mala est efficax, ergo est causa mali.* Ita tu quidem argumentum proponis brevissimè & suis planè nervis destitutum, & addis e lumbe responsum. *Aliud est dicere efficientem voluntatem Dei, aliud efficacem: efficax opponitur irritæ, efficiens non facienti.* Nos aliter argumentum formabimus: *Quo facto fit voluntas Dei efficax, id ad voluntatem Dei efficacem tanquam ad causam refertur, & quidem imprimis, cum voluntas Dei efficax est prædefiniens, prædeterminans & applicans voluntatem humanā ad hanc speciem facti potius, quam ad aliā.*

Omni

Omni peccato sit voluntas Dei efficax, & quidem eadem efficax voluntas Dei est prædeſiniens, prædeterminans, & applicans voluntatem humanam ad hanc ſpeciem facti potius, quam ad aliam Quia in malo actu nihil planè eſt, quod irritam faciat voluntatem Dei in ulla intentione ſua. *Ergo omne peccatum ad voluntatem Dei efficacem tanquam ad cauſam refertur.* Majorem ex ipſis terminis claram eſſe exiſtimamus. Quo enim actu in univerſum alicujus voluntas fit tanquam ſuperioris & diſponentis, illius actus ſuperior ille diſponens cauſa eſſe dicitur, ſaltem moralis. Quo autem actu alicujus efficax voluntas fit, ille pluſquam moralis ejus actus cauſa dicitur. Et ſi ejus actus, ut talis eſt, præſtatione alicujus efficax voluntas fiat, idem ille etiam actus illius, ut talis eſt, cauſa cenſebitur. Itaque & quo actu etiam ut tali fit voluntas Dei efficax, ille etiam ut talis in ipſum Deum ut fontem & autorem referendus eſt. Intelligimus enim juxta Maccovium, ita illo facto fieri voluntatem Dei efficacem, ut & ab hac ipſa factum illud in entitate & ſpecie ſua dependeat, & ad ordinem Dei ex ſe pertineat, nec Deus ulla alia voluntate aliud tum intenderit, aut efficere paratus fuerit, quam hoc ipſum factum, ſub his accidentibus. Addimus etiam, factum illud ita à voluntate Dei efficaci proficiſci, ut antecedenter & ex primaria Dei intentione inde proficiſcatur, non autem conſequenter & ex ſecundaria intentione, qua poſt ſpretam beneficam Dei voluntatem ille juſto judicio hoc factum adornaret. Amplius & iſtud adjicimus, in eo caſu non poſſe actum aliquem, etiam ut talis eſt, non habere relationem cauſalitatis ad Deum, ſi Deus prædeterminet voluntatem inferiorem ad iſtum actum & præmoveat. Illi enim ordinariè rectius adſcribitur & principalius actus, in cujus poteſtate & determinatione magis eſt actus aliquis. Atqui verò ſecundum Maccovium, ut jam minorem roboremus magis, ipſo peccato in univerſum fit voluntas Dei efficax, tanquam ſuperioris & diſponentis. Etiamſi enim non fiat ejus voluntas præcipiens & mandans, non impedit tamen, quominus inter peccatum & Deum naſcatur cauſalitas. Nam voluntas Dei præcipiens & mandans contrarium malo ſeu peccato nullam habet adjunctam efficacitatem intentam reſpectu mali ſeu peccati impediendi. Si enim haberet eam annexam, daretur utique

aliqua voluntas Dei inefficax, cum malum emergit contra voluntatem mandati divini. Quicquid igitur est in peccato, ad voluntatem Dei efficacem referendum est, non actus duntaxat ipse, qui ut concursus divini elicitur, adeoque ad Deum non malè refertur, sed & ipsa vitiositas atque turpitudo actus. Hæc enim aut fit secundum voluntatem efficacem, aut contra, aut præter eam. Non contra aut præter eam, aliàs hactenus redderetur inefficax, quatenus illa aliud intendit, contra aut præter quod emerserit ista vitiositas atque turpitudo. Ergo fit secundum voluntatem Dei efficacem, non utique ut normam: hoc enim repugnaret infinitæ & summæ sanctitati Dei. Ergò ut causam efficientem. Quod & ideò sibi imponi Maccovius non dedignabitur, quandoquidem peccatum à voluntute Dei efficaci in actu exercito & specificatione ejus dependere asseverat. Aliàs peccatum quidem ratione speciei suæ deformitatisque, quanquam non est independens quiddam, quod est solius summi Entis axioma, nequaquam tamen à voluntate Dei efficaci dependere, sed potius deficere dicitur. Ea namq; dependent inde, in quæ illa influit, ad quæ concursus divinus immediatione suppositi & virtutis, ut ajunt, tendit. Influxus autem divinus atque concursus ad perfectionem & entitatem, non autem ad defectionem & non-ens tendit. Maccovius verò peccatum ad ordinem divinum refert. Itaque & ad causalitatem. Nec potest aliter. Si enim peccatum esset contra ordinem divinæ voluntatis efficacis, esset eatenus voluntas divina inefficax, quatenus alium ordinem intendit perficere, quam in peccato præsentatur. Adhæc peccatum ad voluntatem divinam Maccovius refert antecedenter. Non enim post constitutum rerum ordinem & prævisionem voluntatis inferioris; declinaturæ si in hanc virium & circumstantiarum seriem collocaretur, peccatum permittere decrevit voluntas suprema & omnipotens. Primaria Dei intentio fuit, non secundaria & ex prævisis causis orinnda, ut esset peccatum. Non de fine loquimur, quem justitiam Dei constituit Maccovius: sed de modo constituendi peccatum pro medio ad intentum finem consequendum. Ubi sanè, sicut justitiam patefacere in puniendis nonnullis Deo placuit, ita etiam antecedenter placuit, juxta Maccovium, peccatum, per quod infallibiliter ad istum

ſtum finem contenderet. Deniq; ad peccatum, etiam qua tale, voluntas divina efficax determinat, imò prædeterminat & præmovet, ex ſententia, quæ nullam ſtatuit voluntatem Dei inefficacem. Ita noſter Triglandius in Medit. pag. 403. *Cum Deus*, inquit, *prius natura, quamvis* non ſemper *prius tempore, influat in effectum cauſæ ſecundæ, quam ipſa cauſa ſecunda, efficitur, ut prius natura determinet voluntatem creatam, quam ipſa ſe determinat. Determinatio enim voluntatis eſt communis effectus Dei & ipſius voluntatis: quia voluntas nihil efficere, adeoque determinare ſe non poteſt, niſi influente & concurrente Deo. Voluntas ergò ſe determinat ad id, ad quod Deus eam vult determinatam, & ad quod efficit, ut ipſa ſe determinet.* Applicemus hæc verba ad peccatum. Cum Deus prius naturâ, quamvis non ſemper prius tempore, influat in effectum peccato infectum cauſæ ſecundæ, quam ipſa cauſa ſecunda peccans, efficitur, ut prius naturâ determinet voluntatem creatam ad peccandum, quam ipſa ſe determinat. Determinatio enim voluntatis ad peccandum eſt communis effectus Dei & ipſius voluntatis peccantis: quia voluntas peccans nihil efficere, adeoque determinare ſe ad peccandum non poteſt, niſi influente & concurrente Deo. Voluntas ergò ſe determinat, cum peccat, ad id, ad quod Deus eam vult determinatam & ad quod efficit, ut ipſa ſe determinet. Hinc igitur ſatis clarum eſt, Omne peccatum ad voluntatem Dei ceu cauſam primam & ſummam pertinere. Anne ut ad ſummum finem? At ad hunc ex ſe peccatum ineptiſſimum eſt, quia totum in turpitudine & deformitate poſitum eſt, quod ad ſummam pulchritudinem & formam formoſiſſimam per ſe non pertinet. Ergo ut ad ſummam cauſam efficientem. Erit igitur Deus cauſa efficiens mali. Diſtinctio inter voluntatem Dei efficacem & efficientem nulla eſt. Nos enim de ea voluntate Dei diſquirimus, quæ operans eſt, quæ in curſu & concurſu cum cauſis ſecundis elucet, quæ fertur in objecta & ad eorum productionem tendit, ad quam omnium rerum omnes eventus, tanquam ſecreti ſui interpretes, pertinent, in cujus exercitio beatitudinem ſummam ſuam teſtificatur, quæ facit res & actiones, quæ ordinem univerſorum conſtituit, quæ eſt baſis dependentiæ rerum & conſervationis univerſi. Hanc Maccovius nobis in rationibus contra voluntatis

alicujus

alicujus in Deo inefficaciam productis delineavit & contra nos ursit. Hæc autem omninò est efficiens. Non est igitur voluntas Dei efficax duntaxat, per Maccovium, quæ non est irrita, sed etjam quæ non est irrita in efficiendo, quæ verò ita suo concursu efficiente influit in omnia, ut ubique talis tantusq; emanet effectus, qualis & quantus à voluntate Dei intentus est, adeò ut nullum planè decretum sit in Deo, cui non in omni latitudine & intensione in tempore respondent effectus. Quæro enim, quo sensu voluntas Dei dicitur efficax? Anne respectu decreti? Ita quidem, quia à Deo efficaciter præstatur, quod decrevit. Ipsum igitur decretum est regula quasi efficaciæ divinæ. In quo autem illa efficacia divina posita est? Estne Dei actus immanens, an transiens? Non dices esse actum immanentem. Aliàs omnia essent ab æterno. Per actum enim & efficaciam divinam omnia sunt. Est autem actus immanens ab æterno in Deo. Erit igitur actus transiens. Cur ergò non est causæ efficientis? Estne moralis duntaxat efficacia, qualis est in rationibus & persuasionibus sapientum, in autoritate asserentis, in consideratione circumstantiarum &c. At hæc non potest infallibilem habere operationem. Igitur erit, uti vocant, physica & cum emanatione virtutis efficientis. Et prædefinire, prædeterminare, applicare nonne sunt causæ efficientis? Quorsum igitur in schola Maccoviana ista discriminatio voluntatis efficacis, quæ opponatur irritæ, ab ipsa voluntate efficiente, quæ non facienti sit opposita? In quo enim voluntas efficax irrita fit? nonne in actibus suis circa res & actiones hominum? imò in rebus & actionibus hominum? Cum igitur malum efficitur & non fit eatenus ulla voluntas divina irrita, anne hoc voluntas Dei efficax facit? Omninò, si consentanea Maccovij principiis dicere velimus, ita dicendum est. Ergone facit ipsum malum voluntas Dei efficax? Si non ab hac manat, manabit contra eam, & erit ita voluntas Dei in aliquo inefficax, quo malum contra se manare permittit. Sed quid ista subtilitas denique juvabit Maccovium: sive enim dicamus malum esse à voluntate Dei efficiente, sive ab efficaci voluntate promanare, voluntas Dei efficax causa mali erit. Sed sufficiant ista ad efficacis voluntatis Dei explicationem.

An

An ista voluntas Dei, qua in negotio salutis optimus maximus Deus beneficè versatur, arcana Dei voluntas dici queat, jam porrò tecum, Triglandi, ut ex diverticulo in viam redeamus, discipiendum est. *Hæc*, ais, *est illa voluntas, quam Theologi Ecclesiarum reformatarum* arcanam Dei voluntatem *appellant. Nam quamvis novimus esse in Deo illam voluntatem, sicut & novimus Deum Deum esse, (Deum enim ritè non cognoscimus, nec cognoscere possumus, nisi hanc in Deo voluntatem esse cognoscamus) attamen, quid Deus hac voluntate effectum dare velit, nos latet. Nisi quod insignia quædam opera salutis nostræ & impiorum perditionis, ad hanc voluntatem spectantia, verbo suo nobis revelavit, & eventus voluntatem illam paulatim indies manifestat.* Nos sanè fatemur, quod Jehova sit מסתתר אל Es. 45, 15. (LXX. perperam post אל distinctionem faciunt, & מסתתר seorsim exponunt, σὺ γὰρ εἶ θεὸς, καὶ οὐκ ἤδεμεν) *Deus absconditus*, ut Vulgatus habet; *fortis abdens se*, ut Tremellius & Junius habent. Non enim ad Cyrum duntaxat respicere Prophetam censemus, cum Jehovam Deum absconditum vocat, uti quidem opinatur Casp. Sanctius Jesuit. h. l. qui ita eum παραφράζει: *Vere tu, ô Deus, absconditus es in Cyro, per quem occulta admirabilia hæc, quæ modo commemorasti, moliturus es.* & in Comm. num. 61. ait, *Hæc verba sunt Isaiæ, qui, ut sentiunt communiter Patres,* Deum absconditum *appellat, quia illum nulla ingenij creati vis comprehendere, neque infirmo isto ac mortali statu videre potest, quia lucem habitat inaccessibilem & ipse dixit, ut habitaret in nebula. Et Christus speciali quadam ratione vocari potest* Deus absconditus, *quia divinitatis splendorem obtento corporis integumento celavit: quod licet mihi valde placeat, non displiceat tamen mea cogitatio, quæ ideò suspicatur* absconditum *dici* Deum, *quia in Cyro pugnabat usque adeo occultè, ut neque Cyrus ipse cognoverit, & quæ per seipsum peregit Deus, & tunc ab omnibus & postea ab historicis Cyri virtuti ac fortunæ tribuerentur. Quæ si aliter accipias, non video, qua occasione, licet verè, nunc à Propheta Deus dici possit absconditus. Et favet plurimum, quod statim adjungitur, Deus Israel Salvator. Perinde enim est, ac si dicat, Non est Cyrus, qui salvat Israel, tametsi ab omnibus existimetur, sed tamen Deus, qui absconditus in illo, ejus dexteram & conatus ad Israelis libertatem moderaberis.*

§. 27. *An & quomodo in negotio salutis sit Dei arcana voluntas?*

Locus Es. 45, 15. expenditur.

Existimamus quidem, illam arcanam Cyri ad liberandum populum Israeliticum gubernationem esse exemplum documentumque absconditi Dei, non tamen arbitramur, duntaxat hanc in Cyro absconsionem Numinis Opt. Max. à Propheta respici. Arcanam Dei vim latius & copiosius deprædicat, in nominis ejus diffusione per orbis terrarum amplissima spatia v. 5. 6. in lucis & tenebrarum, pacis malique admirabili temperatura atque ordinatione, v. 7. 8. in hominis ad nutum suum irrefragabili directione, v. 9. 10. in futurorum infallibili & nullis humanis viribus impediendæ præstatione, v. 11. in cœli terræque architecturâ v. 12. in populi sui regimine v. 16. 17. Unde nec Calvinus istius propheticæ compellationis vim atque amplitudinem exprimit, cum censet, absconditum vocatum Deum, *quod se subducere & quodammodo occultare videatur, cum affligi suos & variis ærumnis premi sinit, & quia non statim patent oculis nostris, quæ promisit.* Cui non satis considerate suffragatur Wolf. Musculus h. l. Confundunt enim *specimen* abstrusæ gubernationis operationisque Dei, cum ipso *elogio*. Nos amplissimo ambitu accipimus elogium absconditi Dei, certi, & plurima esse in abysso tremenda Deitatis, quorum nec capax est hujus vitæ ratio, nec fiet particeps, & hæc ipsa, quæ nobis ex immenso bono sive per creationem, sive ex divinis aliis patefactionibus & revelationibus innotuerunt, ita comparata esse animadvertimus, ut in iis eminus se potius ostendat Deus, quam aperiat, cum nondum videamus πρόσωπον πρὸς πρόσωπον, sed δι' ἐσόπτρου ἐν αἰνίγματι 1. Cor. 13, 12. Sed tamen tantum de voluntate Dei efficaci nobis constare debet, quantum ad infallibilem salutis consecutionem scire necessarium est, scilicet quibus illa ad salutem promissa sit, quibus medijs indubitanter ejus in nobis operatio sese prodat, quibus comprehendatur articulis. Nam aut ad salutem est necessarium, credere voluntatem Dei efficacem circa negotium salutis, aut non est necessarium. Si non est necessarium ad salutem eam credere, unde fiducia salutis nostræ subsistit? Certè nisi se fundet in voluntatem Dei efficacem, nuspiam subsistet. Oportet ut respiciat eum, qui est δυνάμενος ὑπὲρ πάντα ποιῆσαι ὑπερεκπερισσοῦ, Eph. 3, 20. qui est ἐνεργῶν ἐν ἡμῖν καὶ τὸ θέλειν καὶ τὸ ἐνεργεῖν ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας, Phil. 2, 13. Si autem ad salutem est necessarium eam credere,

credere, oportet, ut in scripturis sufficienter revelata sit. Utique enim & propter eam oportet ἐρευνᾶν τὰς γραφὰς. Joh. 5, 39. & quicquid de ea credimus, credendum est ὡς λόγια θεοῦ. 1. Pet. 4, 11. Debent omninò etiam ἱερὰ γράμματα circa hanc Dei δύναμιν esse δυνάμενα ὑμᾶς σοφίσαι εἰς σωτηρίαν διὰ πίστεως τῆς ἐν χριστῷ Ἰησοῦ 2. Tim. 3, 15. Non satis est, nosse ex S. literis, an sit voluntas efficax, de cætero arcanam esse in eo, *quid Deus hac voluntate effectum dare velit.* Licet etiam *insignia quædam opera salutis nostræ & impiorum perditionis ad hanc voluntatem spectantia, verbo suo nobis revelaverit Deus,* si tamen non expressit, quibus rationibus vel fideles ad salutem deducere, vel infideles ad perditionem præcipitare velit, quosque velit in fidelium numerum recipere, omnesne an paucos, & quid obstet, quod paucos, non omnes, anne ipsa voluntas efficax ad omnes se nõ extendat primâ Dei destinatione & antecedanea quâdam intentione? non potest salus nostra tuto consistere loco. Quæ scriptura insignia salutis nostræ opera ad efficacem voluntatem Dei spectantia revelavit, ea sunt vel acquisitionis, vel applicationis opera. In acquisitionis operibus, ad quæ pertinent incarnatio λόγου, exinanitio per sumtionem formæ servilis, & actus, qui vel ad propheticum Christi officium, vel ad sacerdotale referuntur & tum satisfaciendo, tum intercedendo consummati fuerunt, vel quibus regiæ in Christo infinitæque majestatis stricturæ, in profundâ humilitate manifestatæ, cæterique, voluntatem Dei efficacem consummatam esse, ex scriptura satis discimus. Applicationis opera, quæ vel verbo vel Sacramentis perficiuntur, quibus thesaurus redemtionis nobis dispensatur, ex voluntate Dei efficaci utique dependent. Hactenus ergò scimus, quid Deus hac voluntate effectum dare velit. Sed hoc ad salutem satis non est. Scimus, quid angelis, domicilium suum non derelinquentibus, sed in principatibus suis perseverantibus atque in veritate persistentibus, fecerit Deus. Quia vero nescimus, an eadem voluntate in nos quoque agere decreverit Deus, hoc nobis cognitu quidem jucundum & pulcherrimum videri debet, non tamen ad salutis nostræ curam pertinet. Pariter etiam si scimus, Deum efficaci voluntate velle aliquos homines ad salutem perducere, nisi constet, quos velit deducere, & in quibus efficere velit, ut deductioni in-

comparabili pares esse possint, frustranea est omnis scientia nostra, nec ad æternitatem proficua. Equidem omninò verum est, *eventum voluntatem illam indies paulatim manifestare.* Regula tamen judicandorum eventuum verbum Dei esse debet, in quo causas cognoscere possimus, cur taliter hoc aut illud evenerit. Eventus itaque obvij non sunt principium fidei nostræ. Neque fas est concludere; eventus jam inde ab origine mundi docuit, non omnes ad sempiternam felicitatem pervenire, plurimos aberrare à salutis via & in æternam labi miseriam: ergò nulla voluntas efficax in Deo unquam fuit, quæ voluit omnes ad sempiternam felicitatem pervenire, eosque, qui à vera salutis via aberrant, reducere: ergò voluntas efficax Dei vult illos aberrare à salutis via & in æternam labi miseriam. In ipso quippe principio aliter informamur, ut deinceps constabit. Adde, si scriptura nobis non revelat voluntatem Dei efficacem eousque, ut constet inde, quid, in quibus, quomodo ad salutem per illam operari velit, jam verbi & Sacramentorum virtutem atque usum enervatum esse. Aut enim quando verbum Dei nobis beneficam voluntatem ejus in conterendis & illuminandis cordibus, adeoque in regeneratione, justificatione, sanctificatione revelat, semper voluntas efficax ex intentione conjuncta, vel ut rectius loquar, ista divina revelatione contenta, expressa & oblata est; aut nunquam; aut aliquando, aliquando non. Si nunquam, ad quid ergo verbum, ad quid Sacramenta? Ais, *significare & obsignare.* Quomodo significant, quomodo obsignant, si nunquam tale quid verbo & Sacramentis aut conjungitur aut continetur, quale significatur & obsignatur? Si aliquando conjungitur, aliquando non, tum vel ex aliquo infallibili principio constat, quando conjunctio illa sit credenda & apprehendenda, vel ex nullo. Conjecturas enim & verisimilitudines sublimitas hujus negotij respuit. At hoc nullo principio revelato probare poteris, aliquando voluntatem Dei efficacem ad regenerationem, justificationem, sanctificationemque cum mediis, verbo & Sacramentis, ex Dei antegrediente intentione aliquando conjungi, aliquando non. Si autem semper conjuncta est, cur dicis nos latere illam voluntatem Dei? Et dum eam latere eatenus dicis, an non enervas verbi potentiam, an non Sacramento-

rum

rum elevas efficaciam? Imò nisi indubitatè constet, voluntatem Dei efficacem ex intentione Dei semper in ordine ad omnes auditores conjungi cum verbo; sequetur, accedentibus ad verbum & non deprehendentibus ibi ad se directam Dei efficaciam, non tantum non profuturum verbum, sed etiam exitiale & perniciosum futurum, utpote contrectantibus rem alienam, ad se non pertinentem, sibi non destinatam.

Amandus Polanus *Syntagm. Theolog. l. 2. c. 19. Occulta*, inquit, *Dei voluntas est, quam Deus coram hominibus abscondit, quamdiu ipsi visum est.* Ludovicus Crocius *in syntagm. p. 602. Arcana*, inquit, *voluntas est, quæ creaturæ intelligenti, quam diu Deo visum, abscondita est. Hæc εὐδοκία beneplacitum* Eph. I, 5. *voluntas Dei*, Psal. CVI, 4. Act. XVIII, 21. *& consilium Dei*, Eph. I, 12. Act. IV, 17. 18. Rom. XI, 34. *dicitur. Hæc non est perscrutanda*, Deut. XXIX, 29. *& ut plurimum a nobis ignoratur*, Ps. XXXVI, 7. Prov. XXV, 1. 1. Cor. II, 16. Rom. XI, 36. *Huic à nemine potest resisti, sed ab omnibus semper fit*, Rom. IX, 14. *Hac disponit Deus & ordinat causas secundas.* Eph. I, 12. *omniumq; rerum & actionum eventus statuit.* Act. II, 22. 23. VI, 25. 26 27. 28. Consentit Antonius Walæus *in Loc. Comm. Tom. 1. Oper. pag. 178. Existimant*, inquit, *quidam, Deum tantum exercere judicia sua secundum justitiam legis, aut æquitatem Evangelij nobis revelatam seu secundum comminationes & promissiones Legi atque Evangelio annexas, & Ecclesiis reformatis invidiam creare conantur, quando dicunt, rationem divinorum judiciorum aut miserationum ejus sæpe esse occultam. Sed respondemus, Deum quidem sæpe exequi sua judicia, aut præstare sua beneficia secundum voluntatem revelatam; in omnibus tamen Deum sic agere, falsum & multis evidentibus S. Scripturæ locis refutatur. Sic loquitur David Ps. 36, 7.* Justitia tua instar montium maximorum, judicia tua Domine sunt abyssus multa. *Rom. 9, 20.* 21. Quis tu, ô homo, qui ex adverso respondas Deo? Annon habet potestatem figulus ex eodem luto faciendi aliud vas ad decus, aliud ad dedecus? *quod respectu electionis & reprobationis, quarum causæ in Dei voluntate latent, ab Apostolo manifestè pronunciatur. Sic ad Rom. 11, 33. cum tractationem suam de Iudæorum rejectione & gentilium assumtione concludit, loquitur quoque Apostolus:* O profundas divitias tum scientiæ, tum sapientiæ Dei! quam in-

Polani, L. Crocij, Walæi sententia proponitur.

ſcrutabilia ſunt judicia ejus & viæ imperveſtigabiles. *Quemadmodum Chriſtus ipſe etiam loquitur Matth.*11,25. Ago tibi gratias pater Domine cœli & terræ, quod hæc celaveris ſapientes hujus mundi & revelaveris infantibus: etiam Pater quia ſic complacuit tibi. *Chriſtus ergo in Dei beneplacito ipſe hic acquieſcit. Quemadmodum etiam Deus Iobum reſponſantem alloquitur, cap.*40,3. An irritum facies judicium meum, condemnabis me, ut juſtus ſis? *Atque ab iis verbis uſque ad cap.*42. *convincit Iobum, ſe ſemper juſtè agere, etſi jamſi ipſe rationes juſtitiæ Dei non intelligat. Quod Iobus tandem fatetur c.*24,3. Indico me non intellexiſſe, mirabilia ſunt ſupra me, adeò ut nequeam cognoſcere. *Et v.*6. Idcirco adſpernor illa atq; pœnitet me nempe reſponſationum mearum in pulvere & cinere. *Sic* deſcribunt illi, ſic probant voluntatem illam ſuam efficacem & arcanam, ut operantem ex abſcondito. Sed nulla in probationibus adductis vis eſt. Locus ex *Eph.*1,5.& 12. quem Crocius producit, revelatam ſimulatque efficaciſſimam ex intentione Dei voluntatem exponit. Eam vocat S. Paulus εὐδοκίαν τῆ θελήματος τοῦ θεοῦ. v.5. χάριν. v.6. μυστήριον ejus vocatur μυστήριον τοῦ θελήματος αὐτοῦ κατὰ τὴν εὐδοκίαν αὐτοῦ, ὃν προέθετο ἐν αὐτῷ, v.9. dicitur de βουλῇ τοῦ θελήματος αὐτοῦ v.11. Illud beneplacitum, conſilium, propoſitum, myſterium voluntatis eſt revelatum, non arcanum aut abſconditum, niſi quatenus etiam clariſſimè in ſ. literis de Deo revelata ſuos habent receſſus, nec univerſam profunditatem bonitatis, voluntatisque Dei exhauriunt. Illa enim divina voluntas per revelationum divinarum ubertatem exundavit tum temporis in Epheſina Eccleſia, exundatque etiam nunc in omni ſapientia & prudentia. v.8. notum factum eſt myſterium voluntatis Dei ſecundum beneplacitum ſuum, quod propoſuit in ſe, v.9. idque per λόγον τῆς ἀληθείας καὶ τὸ εὐαγγέλιον τῆς σωτηρίας v.13. neq; dicit Apoſtolus, Epheſinos obſignatos eſſe ſpiritu promiſſionis ſancto ex arcana efficaci Dei voluntate, ſed ex ea, quæ per Evangelium ſalutis ipſis diſpenſata & applicata eſt. *Pſal.* 106, 4. quem Crocius proponit, optat Vates Deo plenus, ut ſui meminiſſe velit רְצוֹן עַמּוֹ *in beneplacito populi ſui*, LXX. ἐν τῇ εὐδοκίᾳ τοῦ λαοῦ, Tr. & Jun. *pro benignitate, quo perſequeris populum tuum.* Quomodo ad arcanam Dei voluntatem iſta planè referenda ſint, non oſtendit

*Loc Eph.*1, 5.& 12 expenditur.

*Pſ.*106.4. expēditur.

ſtendit Crocius. Sanè beneplacitum, quo proſecutus Deus eſt populum ſuum, ſatis ipſi expoſitum fuit atque patefactum *Pſal.* 147, 19. 20. Locus *Act.* 18, 21. ad divinam gubernationem itinerum vitæque S. Apoſtoli pertinet, in quibus multa fuiſſe arcana, non inimus inficias, Act. 16, 6. 7. 8. 9. 10. Sed hæc non eſt ordinaria Dei voluntas, quam in conſervatione univerſi & in diſpenſatione donorũ regni gratiæ exhibet, de qua nobis eſt diſquiſitio. *Rom.* 11, 35. Deum ἀσύμβουλον καὶ ἄγνωστον τὸν νοῦν vocat Apoſtolus, qui nullum vel admittat, vel neceſſum habeat conſiliarium, & cujus mentem nemo cognoſcere queat. At quomodo ſequitur; Deus nullum habet conſiliarium; ergò habet in negotio ſalutis voluntatem efficacem arcanam, quæ creaturæ intelligenti explorata non eſt. Id quidem firmum eſt planèque certum, nullis ingenij humani aut angelici viribus penetrari in Dei mentem & conſilium potuiſſe, adeòque nihil planè ſciri de mentis æternæ conſiliis, niſi ex arcano ſuo prodiiſſet Deus & ſe patefeciſſet. Sed quid hoc ad præſens negotium? Quæritur namque, an voluntas efficax & operans in negotio ſalutis ordinariè adhuc ſit arcana? an verò revelata & ἐνεργοῦσα per verbum & Sacramenta atque indubitatæ applicationis? Id non negat S. Paulus, dum quærit, τὶς ἔγνω νοῦν Κυρίου? hoc enim κατὰ τὸ βάθος intelligendum eſt, non κατὰ συγκατάβασιν καὶ φανέρωσιν. Ita, quod Walæus *ex v.* 33. producit, accipiendum eſt. Antequam ſe revelet nobis Deus, ſuamq; ſapientiam & ſcientiam communicet, antequam in conſpectum notitiamque ſuorum judiciorum & viarum perducat, merum βάθος eſt, mera abyſſus. Quouſque autem ſeſe revelavit, & ſapientiam ſcientiamque ſuam diſpenſavit, cum in conſpectum & notitiam judiciorum viarumque ſuarum nos ducit, ibi eſt πρόσωπον ἀνακεκαλυμμένον 2. *Cor.* 3, 18. Licet enim & hîc incomprehenſibilia ſint, quæ cœleſtis ſapientia monſtrat, licet tamen fidei pro roborandâ ſui certitudine tantum ex ipſis delibare, quantum ſatis eſt.

Act. 18, 21.

Loc. Rom. 11, 35. expenditur.

§. 29. *Locus Deut. 29, 29. expenditur.*

Locus Deut. 29, 29. ita quidem à Tr. & Jun. translatus eſt, ut de voluntate Dei abſcondita nobis & à revelata diſtincta accipi poſſit. Ita enim vertit: *Quæ occulta ſunt, penes Iehovam Deum noſtrũ ſunto: at quæ revelata, nobis & filiis noſtris, uſque in ſeculum revelata ſunt, ut faciamus omnia verba hujus legis.* Et favent LXX. Τὰ κρυπτὰ κυρίῳ

κυρίῳ τῷ θεῷ ἡμῶν. Τὰ δὲ φανερὰ ἡμῖν καὶ τοῖς τέκνοις ἡμῶν εἰς τὸν αἰῶνα &c. Et Arias Montan. in translatione Paraphraſeos Chald. *Quæ occulta ſunt, ſint coram Domino Deo noſtro; Quæ autem manifeſta ſunt, nobis & filiis noſtris uſque in ſeculum.* Et Rob. Stephanus. *Abſcondita, Iehovæ Dei noſtri ſunt: & revelata noſtra ſunt & filiorum noſtrorum &c.* & Tigurini: *Abſcondita Domino Deo noſtro, revelata verò ad nos & ad filios noſtros attinent, dum durat ſeculum &c.* quod & retinuit Vatablus. Et Deodatus in translatione Italica: *Le coſe occulte* appartengono *al Signore Iddio noſtro: ma le rivelate* ſono *per noi, e per li noſtri figliuoli &c.* Et Genevenſes. *Les choſes cachees* appartienent *à l' Eternel noſtre Dieu: mais les choſes revelees ſont pour nous & pour nos enfans &c.* Non tamen omnes, qui ita transferunt, per *occulta* ipſa conſilia voluntatis divinæ intelligunt. Vatablus hunc in notis ſenſum habet: *Dei eſt punire idololatriam occultam, ad nos autem pertinet punire idololatriam apertam, neque ſolum ad nos, ſed etiam ad poſteros noſtros uſque in ſempiternum.* Hujuſmodi ſenſum etiam refert R. Stephanus. Nec abit ab eo Rab. Aben-Eſra, uti ex eo Munſterus refert, ita enim reddit: *Secreta, quæ ab homine fiunt, Dei ſunt, ut illa puniat: quæ verò in propatulum veniunt & publicè fiunt, hæc noſtra ſunt, hæc nos tenemur punire, præſertim idololatras &c.* Nihilominus nec textus Hebræus, nec paraphraſis Chaldaica cogunt, ut ita vertamus. Unde Vulgatus habet; *Abſcondita Domino Deo noſtro, quæ manifeſta ſunt nobis & filiis noſtris uſque in ſempiternum, ut faciamus &c.* Munſterus; *Secreta Domini Dei noſtri, revelata ſunt nobis & filiis noſtris uſque in ſeculum, ut faciamus &c.* Pelicanus. *Abſcondita Domino Deo noſtro, ſunt revelata nobis, & filiis noſtris uſque in ſempiternum &c.* Qui hunc ſenſum reddit: *Quæ jam tam horrenda fata deſcripta ſunt, tam de perfidia inobœdientiſſimæ gentis, quam juſtiſſimo duriſſimoque judicio Dei punientis, ſic habent in libro providentiæ divinæ, ubi hæc olim ventura cum aliis totius mundi decretis, ordinibus, circa omnium regnorum gubernationem, abſcondita ſunt omnibus creaturis, nemo hominum ea præſcire potuit, niſi eis Dei gratia revelentur. Id quod & filiis noſtris Prophetis ſuo aliquando tempore futuris & nobis credentibus Dei revelatione prædicabitur, firmaq; perſiſtent & certa veritate in ſecula multa. Scripta ſunt autem fidelibus, ut ſacroſanctam legem omnipotentis*

Dei

Dei fideliter perficere adnitamur &c. Nec displicet hic sensus & ista translatio R. Stephano: qui ait: *Alij vertunt,* Secreta Jehovæ Dei nostri revelata sunt nobis & filijs nostris, *juxta illud Davidis*: Non fecit taliter omni nationi &c. Et Arias Montanus post Santem Pagninum non adversatur, ita reddens, *Abscondita Domino Deo nostro, & revelata nobis & filijs nostris, usque in seculum, &c.* Nec sanè vel antecedentia vel consequentia ad abscondita quædam arcanaque non revelata deducunt, ut adeò hic locus ejusmodi discriminationi arcanorum non revelatorum à manifestis & revelatis non patrocinetur. Quodcirca causa nulla fuit, cur ita adversus B. Lutherum insurrexerit Sixtinus ab Amama in Antibarbaro libr. II. pag. 595. cum ita repræsentat textus Hebraici sententiam: *Occulta* (pertinent) *ad Dominum Deum nostrum, sed* (Ebraicè, Et) *revelata pertinent ad nos & filios nostros, ut faciamus omnia verba legis hujus.* & inquit: *Hæc est simplicissima Ebraicarum vocum Interpretatio. Nihil enim notius est iis, qui vel ἀκριβῶς Ebræam Grammaticam attigerunt, τὸ ל sæpe idem significare, quod* ad, *cum ellipsi verbi* pertinet. *D. Piscator paulò aliter*: occulta (*sunt*) penes Dominum Deum nostrum: at revelata (*sunt*) penes nos. *Sensus*: *ne sapiamus altum, neque in ea, quæ Deus sacri silentij supparo operuit, curiosè inquiramus. Quin hoc potius operam demus, ut ex præscripto istius legis, quam nobis revelavit, obsequij gloriam amplexantes, vitam nostram instituamus. Hanc egregiam & auro contra non caram sententiam commodè satis expressit ipse Vulgatus interpres. Fò magis miror indiligentiam & dormitationem B. Lutheri, qui & neglecto accentu Athnach in voce* אֱלֹהֵינוּ, *& insuper habita litera vau ante vocem* הַגִּלֻּת, *quæ alterum illud axioma cum priore copulat, sic vertit*; Das Geheimnus deß Herren vnsers Gottes ist offenbaret vns vnnd vnsern Kindern ewiglich / daß wir thun sollen alle Wort dieses Gesetzes ewiglich. *Quæ in Belgica nostra translatione sic versa reperies,* De Heymelyckheit deß Herren onses Gods is ons ende onse Kinderen gheopenbaert eeuwichlick *&c. Quicquid ad hunc textum ab interpretibus convectatur, non illustrando verbo Dei, sed Lutheri assertur.* Respondemus I. etiamsi ל sæpe idem significet, quod *ad* cum ellipsi verbi *pertinet*, non tamè id perpetuum est, ut necesse sit ל cum

Sixtinus ab Amama notatur.

inservit casibus constituendis, hoc modo resolvere. Si autem sit genitivus possidentis, non obstat, quo minus nonnunquam ita resolvere possimus. Et hoc etiam in loco, si ita dicamus, Secreta Domini, id est, secreta, quæ ad Dominum pertinent, revelata sunt nobis. 2. B. Lutherus non ex indiligentia quapiam aut dormitatione neglexit *Athnach* accentum distinctivum, sed partim cognovit, *athnach* non semper tantam facere distinctionem, ut peculiare membrum periodi faciat, quod vel ex solo hoc cap. 29. observare potuit, v. 9. 11. 13. 14. &c. partim ad sensum respexit, si omninò peculiare membrum sit הַנִּסְתָּרוֹת לַיהוָה אֱלֹהֵינוּ, & hanc versionem fieri posse prudenter cogitavit: *Hæc sunt illa abscondita in thesauris Dei, & recèfacta sunt revelata nobis & filiis nostris.* Intellexit enim diligentissimus scripturarum scrutator, Mosen respicere ad antecedentia, quæ ex arcano divinæ sapientiæ promptuario exposita sunt, in quibus sanctitatem, justitiam, providentiam, promissiones, minas, eventus, adeòque omne suum consilium de ordinaria gubernatione Israelitarum in causa salutis expressit Deus. Ea erant μυστήρια σεσιγημένα χρόνοις αἰωνίοις *Rom.* 16, 25. ἀποκεκρυμμένα ἀπὸ τῶν αἰώνων ἐν τῷ θεῷ *Eph.* 3. 9 ἀποκεκρυμμένα ἀπὸ τῶν αἰώνων καὶ ἀπὸ τῶν γενεῶν. *Col.* 1, 6. per Mosen verò summo Dei beneficio manifestata atque revelata sunt, tanquam per Oceanum quendam, ex quo deinceps in reliquos Prophetas derivarentur. Sanè quia Lutherus noster non observavit, in antecedentibus meminisse Mosen aliquorum, quorum ratio adhuc occulta esset & in sapientiæ divinæ thesauris reposita & rursus aliorum distinctorum, quæ revelationibus ejus esset explicata, non potuit facilè in eam digredi opinionem, Mosen velle hoc loco discrimen aliquod constituere inter ea, quæ adhuc in Deo latent & nulla revelatione mortalibus communicata sunt, & inter ea, quæ Deus jam proposuit & exposuit generi humano 4 non insuper habuit B. Lutherus literam *Vau*, sed ejus in textu peculiarem efficaciam ad sensum esse, adeoque eam peculiariter in versione exprimendam, non existimavit. Scivit ejus non semel in scriptis observatum pleonasmum. Scivit eam per *etiam* non nullibi repræsentari. Scivit eam adversativè interdum usurpari. Quocunque modo capias hic eam, B. Lutheri versio subsistit. Chaldæus, ad quem provocat Sixtinus, commodissimè

dissimè verti potest, ut non refragetur B. Luthero nostro. Verba sic habent. דמטמירן קדם יוי אלהנא ודגליהן לנא ולבנוהי *Quæ occulta coram Iehova Domino nostro* (fuerunt) *& quæ* (nunc) *manifesta sunt nobis & filiis nostris &c.* Hæc pro Luthero ab indiligentia & dormitatione vindicando. Aliàs sensum non improbamus, qui scimus, non nemini ex Amicis nostris illum probari. Nec verò ille nobis adversatur. Seriò mandamus & ad summæ majestatis venerationem id pertinere scimus, ut ea, quæ ὁ πατὴρ ἔθετο ἐν τῇ ἰδίᾳ ἐξουσίᾳ Act. 1, 7. curioso nostro scrutinio intacta relinquamus, & in revelatis Deum & universa salutis præsidia quæramus. At ab ejusmodi adhuc absconditis dispensatio ordinaria salutis nostræ non dependet.

§. 20. *Psalm. 36, vers. 7. expenditur.*

Psalm. XXXVI, 7. plerique è Crociana schola ipsam absconditam Dei voluntatem non intelligunt. Conr. Pelicanus, cum justitia Dei altissimis montibus & judicia Dei abysso conferuntur, non ad impervestigabilitatem, sed ad copiam atque ubertatem refert, & intelligit *rationem, qua Deus mundum gubernat, quibus omnia regit & moderatur, ut planè beneficiorum quendam Oceanum in creaturas effundat, qui abysso multò maximè assimiletur.* Seb. Munsterus h. l. intelligit *moderationem illam divinam, qua Deus omnibus præsidet, omnia gubernat & omnia conservat, & præsertim homines & animalia in vita servans &c.* R. Stephanus ita ad verba; *Justitia tua sicut montes Dei &c.* scribit: *Dei,* אל *id est, altissimi. nam quicquid eximium, magnum & præstans est, id Dei esse dicunt Hebræi; q. d. Tam immensa est bonitas sive misericordia tua; quam sunt immensi montes, quantumvis alti. Per justitiam & judicia bonitatem* intelligit, sicut & Wolfg. Musculus h. l. *versibus his,* inquit, *commendat bonitatem Dei ab excellentia & infinita copia, quæ tanta sit, ut terram sursum ad cœlos usque & infra ad abditissimas usque abyssos repleat. Est autem notandum, quod h. l. ut & multis in locis dictio justitiæ nihil aliud significet quam bonitatem, fidem & probitatem. Et* בישפטיך *judicia sunt modi illi divinæ providentiæ, quibus totum mundum tanta bonitate administrat, ut sint veluti profundum & copiosissimum quoddam mare. Dicit itaque, justitiam, bonitatem, fidemque Dei ita ubique terrarum esse conspicuam & excellentem, ut quemadmodum excellentissimi montes in terra super omnia eminent, & conspicui sunt passim,*

ta illa nusquam non conspicua sunt & eminentes. Ipse Calvinus ita notat h.l. Crocianam allegationem. *Solet in diversum sensum citari hic locus, quod scilicet judicia Dei captum nostrum longè superent, sintque magis abscondita, quam ut eorum ratio apprehendatur nec inepte huc aptatur similitudo abyssi. Latius tamen patere Davidis verba colligitur ex contextu &c.* Buchananus h.l.

Modus æquitatis & tuæ sapientiæ
Cunctaq; quæ fecit, cunctaque facta regit,
Longè nivosis montium fastigijs
Altior est, vastis gurgitibusque freti.

Notissimum est צדקה *benignitatem Dei* notare. Ps. 24, 5. Neque certum est, quod magnus & polyglottus Philologus notat, quando conjunguntur צדקה ומשפט *significare duas judicij partes, quarum una* משפט *consistit in condemnatione seu punitione impiorum, altera* צדקה *justitia in defensione justorum.* Amplissimum enim, etiam ubi de Deo conjunctim enunciantur, habent objectũ, ut ad ea duntaxat restringere, nulla necessitas jubeat.

§. 31. *De loco Prov. 25, 1. judicia Bedæ & reformatorũ*

De loco Prov. XXV, 1. ita scribit Beda h. l. *Gloria Domini est in carne apparentis humanitatis suæ infirmitatem magis, quam divinitatis æternitatem mortalium oculis ostendere, & se potius operum miraculis ac mysticis locutionibus, quam apertis assertionibus verbum, i.e. filium Dei ostendere. Vnde multò sæpius in Evangelio filium se hominis, quam filium Dei appellare consuevit. Et gloria fidelium ejus discipulorum est, diligenter ejus investigare sermonem, quo se Deum, etiam ubi patenter non dicit, mysticè significat.* Sed hoc remotius est. Propius accedit Lud. Lavaterus h.l. *Ad gloriam Dei pertinet, quod celat verba sua, h.e. res, negotia, judicia, consilia & opera. Quæ ad salutem nostram & vitam rectè instituendam faciunt, verbo Dei abundè comprehensa & nobis revelata sunt. Revelavit autem ea Deus & æternum revelat parvulis, non prudentibus juxta seculum. Deinde judiciorum suorum rationes sæpe nobis declarat. De aliis quoque multis rebus nos instituit. Artes nobis monstravit, ex quibus multa res obscuræ intelliguntur. Interim tamen multas res sibi servat, quas à nobis non vult intelligi: veluti quando nobis ex hac vita migrandum sit, quod Gregorius ideò alicubi fieri dicit, ut dum semper dies mortis ignoratur, proximus esse credatur, semperque parati inveniamur. Item quando venturus sit*

rus sit in judicium. Testatur enim Christus, angelos, quin ipsum filium hominis horam ignorare. Quædam causæ judiciorum Dei nos ad tempus; quædam semper latent. Alias res innumeras ignoramus. Quin in rebus physicis cæci quodammodo sumus. Philosophi enim in multarum rerum explicatione conjecturis tantum utuntur, eminus & quasi in speculo videntes, quæ vident. Notitia nostra est veluti obscura quædam lucerna in densissimis tenebris; in futura demum vita apertissimè videbimus, quæ nunc nos latent. Quod verò Deus nos multa celat, hoc facit ad gloriam ejus. Oportet enim nos, velimus nolimus, ad sapientiæ divinæ sublimitatem obstupescere, nostramque ignorantiam fateri &c. Dan. Chamier Panstrat. Cathol. T. 1. lib. XV. c. 17. n. 10. ita de h. l. ait. *Illud Prov. 15.* Gloria Dei celare verbum, *rectè Mercerus interpretatur de mysteriis, quæ, etsi patefacta sint in verbo, tamen habent in se multum abstrusi, ut penetrari non possint ab humana mente. Quam ob causam Tremellius pro verbo rem dixit, quomodo notum apud Hebr.* הרבר *propriè quidem verbum, sed inde per metonymiam usitatissimè rem significare. Iansenius ex Cajetano probat, significari, ad honorem Dei pertinere, abscondere rationes judiciorū & factorū suorū, unde pateat, non habere superiorem: at reges & quosvis judices humanos paratos esse debere declarare rationes suorum judiciorum & factorum. Nec Saa est alienus.* Ad Dei gloriam pertinet, *inquit*, ejus mysteria esse occulta, ad Regem autem, sciri, cur quicquam faciat. *Quæ certè non est obscuritas tradendi, sed rerum ipsarum, quarum rationes lateant.* Sic certè nec Lavaterus, nec Chamier ad negotium salutis & prædestinationis hunc locum referunt. Ita & Genevenses non interpretantur de abscondita voluntate, sed de rationibus voluntatis, quas sæpe ignotas esse ajunt. Ita enim exponunt celare causam, seu *celerla chose; d' exercer le souverain empire du monde, comme il fait lors qu'il lui plaist desployer ses jugements sour les hommes, sans en rendre raison: d' autant que la justice de ses secrets jugemens nous est incomprehensible.* Deodatus refert ad ipsorum decretorum conceptionem, quod hoc ad summam ipsius Dei gloriam pertineat, quod in arcano æternitatis sinu sine consiliario & syndico constituerit, quid in tempore facturus & manifestaturus sit; cum Reges deceat aliorum uti consultationibus. *La somma gloria di Dio è, che non habisogno prender consiglio d' alcuno: anzi i suoi giudi-*

cij è consigli sono segreti, & occulti: là dove à i Re è cosa honorevole il consigliarsi con altri, per far tutto maturamente, è prudentemente.

§. 32. *Loc. 1. Cor. 2, 16. expenditur.*

Locus 1. Cor. 2, 16. arcanam Dei voluntatem inprimis in negotio salutis non probat. Reclamat textus, in quo de origine & facultate apprehensiva oraculorum revelationumq; divinarum disserit S. Apostolus. Negatur, ex mundana sapientia & rationis scrinio deprompta esse arcana salutis. Negatur, facultatibus naturalibus hominis ea apprehendi posse. Ratio adducitur; quia sunt è penetralibus & profunditatibus mentis divinæ deprompta: quia ergo nemo ullo ingenio atteque in ipsam mentem divinam penetrare potest, ideò nemo etiam suis viribus nosse aut percipere potest, quæ saluti nostræ ordinata sunt. Oportet igitur per revelationes mentem Dei Christique habere. Ita ratiocinatur Apostolus. Et sic Pelicanus h.l. *Quæ à Deo per Christum sunt acta, ex intimis divinæ mentis arcanis consiliis gesta sunt & depromta, non ex humanis ratiocinationibus comprehensa, sed ex propheticis tantum revelationibus indicata per spiritum Dei. Quis autem mortalis novit consilium & institutum Dei, nisi à Deo reveletur? Quis hominum caducorum Deo potest esse à consilio tanquam arcanorum divinorum conscius? Nova ratione divina mens voluit asserere & salvare suos, qua falleret omnem hominis curiositatem.* Consentit Bullingerus; & Gualtherus, h.l. hom. II. Musculus rotundè eruit textum, cum ait: *Quæ sunt Dei, nemo novit, nisi Spiritus Dei, & spiritualis dijudicat omnia, ipse verò, ut spiritalis, à nemine dijudicatur. Si enim nemo cognovit mentem Dei, nisi Spiritus Dei, certe firmum est, quod nemo cognoscat illam per rationis judicium, & quod soli spiritales eam cognoscant & quod illi à nemine cognosci queant. Nos autem mentem Christi tenemus, mens Christi est mens Dei, secretum illud consilium Dei. Christum autem ponit, quia per illius fidem datur Spiritus & per Spiritum revelatio mentis Dei.* Nec abit Diodatus, cum ait: *Vuol dire, Poi che lo Spirito santo dichiara à fedeli la volontà di Dio, è di Christo, lor capo, vano è il giudicio de mondani, intorno alla lor fede: & esse non deono farne stima alcuna: perochè, essendo quelli del tutto ignoranti di cose di Dio, non possono giudicarne, come per dar qualche ammaestramento allo Spirito santo.* Et hoc quoque Calvino placet, ut cæteros jam permittamus.

Textus

§. 33. *Loc. Rom. 9,19. expenditur.*

Textus Rom. IX,19. objectionem continet malè colligentis rationis. Nam postquam Apostolus dixit, *cujus vult, Deum misereri, & quem vult Deum indurare*, infert ratio: *Qui omnia agit pro irresistibili sua voluntate, is non potest quiritari de iis, in quos agit, quod sibi resistant. Atqui Deus omnia agit pro irresistibili voluntate.* E. Minorem malè colligit ex antecedentibus. Nam in illis de irresistibili aliqua voluntate Dei nihil Paulus dixerat, sed omnem benignitatis divinæ dispensationem ad gratiæ divinæ fontem retulerat. Id conclusio docet v.16. Et in exemplo Pharaonis non absolutum & irresistibile decretum, sed justum judicium proposuerat, v.17. Qui n. cum ipse posset esse Patronus Ecclesiæ more majorum, & laudem ejus in terram Canaan promotæ habere, si post tot convictiones & demonstrationes postulantis Dei malitiosè resistit, justissimè cadit. Verissimum sanè, quod Theodoretus h.l. ait: *Pharaonem non divina potentia, sed divina patientia induravit.* Et S. Paulus respondet ad istam objectionem, *indirectè & objurgando*: non debere audiri ab homine tales adversus Deum ratiocinationes, hominem esse creaturam & figmentum Dei conditoris sui, nec posse litigare cum eo de conditionis modo atq; ordine. Debere potius præsumere, optimè se conditum, sapientissimè, justissimè. *Directè* verò & *negando* respondet, omnia fieri irresistibili & abstrusa aliqua voluntate. Contra voluntatem Dei esse vasa iræ. Si n. non essent contra voluntatem Dei, non essent vasa iræ. Ira est adversus repugnantem voluntati Dei. Contra voluntatem Dei esse refractarios, quos Deus multa longanimitate tulit. Ubi longanimis tolerantia, ibi in toleratis reperitur reprehensibilis repugnantia. Contra voluntatem Dei esse, quod se præparaverint homines Satanæ inspiratione ad interitum. Divina parasceve hominum est ad imaginem felicitatis sempiternæ. Augustinus in lib. ad Bonifacium. *Deus volens ostendere iram & demonstrare potentiam suam sustinuit in multa patientia vasa iræ, quæ perfecta sunt in perditionem, & ut notas faceret divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ. Ecce etiam ratio reddita est homini, quanta debuit homini. Si tamen vel ista capit, qui pro sui arbitrij libertate in tanta infirmitatis servitute contendit. Ecce dictæ sunt causa. Tu quis es qui respondeas Deo? Si volens Deus ostendere iram, & demonstrare potentiam suam, quod & malis benè uti optimus posit, malis duntaxat*

duntaxat non conditione divina, sed vitiata voluntatis iniquitate natura, quæ à Deo conditore condita est bona, attulit in multa patientia vasa ir perfecta in interitum, non quod illi essent necessaria sive angelica sive mana peccata, cui nec justitia creaturæ cujusquam est necessaria, sed ut notas faceret divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, ne se in bonis operibus tanquam de propriis extollerent viribus, sed humiliter intelligerent, nisi illis Dei gratia non debita sed gratuita subveniret, id fuisse reddendum meritis suis, quod alijs in eadem massa redditum cernerent. Et objectionem v.19. contineri asserit *Masculus, Martyr, Gualtherus, Calvinus, Bullingerus, Pelicanus &c. Et Bullingerus* quidem diligenter inter potentiam & justitiam Dei distinguit; potuisse quidem Deum absolutè in homines agere, at *non pro arbitrio, sed pro justitia & æquitate horū quidem misereri, alios verò indurare; è luto quidem nos finxisse Dominum, sed animam & rationem indidisse corpori, regenerare, spiritum donare, verbo docere, facultates conferre, quæ dum homo vel prorsus negligit, vel non excolit diligenter, meritò irasci Dominum & damnare.* *Pelicanus* etiam ad universalem Dei misericordiam respiciendum esse monet. sed satis de h.l.

§. 34. *Act.2,23. 4,28.* Act.II,23 ὡρισμένη βουλὴ non est arcana seu abscondita Dei voluntas, sed manifestata & Prophetis patefacta: ut exseqq. liquet. Et antecedente quidē Dei voluntate εὐδοκία Filij unigeniti benignissimè ordinata est. At λῆψις διὰ χειρῶν ἀνόμων ad consequentem refertur, qua illā Deus voluit permittere, ordinare, terminare. Act. IV, 25.26.27.28. pariter revelata voluntas Dei intelligitur. conf. Luc. 18,31. Et id quod Deus προώρισεν γενέσθαι fieri decrevit, ab eo, propter quod hostes Jesu συνήχθησαν ποιῆσαι, diligenter secernendum est. In actionibus n hostium latet Dei actio, ut rectè Aretius, non absoluta necessitate eas prædeterminans, sed permittens, usurpans & ordinans manu sua ad consilij sui benignissimam executionem.

Matth, 11, 25. Ant. Walæus repetit dicta nonnulla jam explicata. Matth. 11,25. Christus non loquitur de beneplacito arcano, sed de voluntate patefacta, qua declaravit, se νηπίοις velle divitias suæ sapientiæ communicare non quidem omninò exclusis σοφοῖς καὶ συνετοῖς, uti eventus docuit. Quanquam ad ea, quæ discipuli à Christo emissi, in expeditione ista viderunt & experti sunt, præ Pharisæis & primoribus populi, rectissimè locus refertur. Conf. Math. 10,16 & seq. Luc. 10,17. & s. Quæ ex Iobo adfert, ad gubernationem Dei circa individua spectant, in quibus extraordinaria nonnulla permittimus. Sed hoc ad salutis negotium nil attinet. Satis de *efficaci voluntate*, qua *arcana & abscondita*

CAP.

INTERPELLATIONIS
NECESSARIÆ,
AD
Meditationes
JACOBI TRIGLANDII
DOCTORIS & PROFESSORIS
THEOL. LEYDENSIS
In
Opiniones Variorum
DE

VOLUNTATE DEI, GRATIA VNIVERSALI ET SCIENTIA MEDIA, *DISSERTATIO SECUNDA*

Quam
Gratia Dei prosperante
Præside
JOH. GEORGIO DORSCHEO
SS. Th. D. & h. t. Rectore
in Illustri Argentoratensium Universitate
solenniter tuebitur

Mense Maio d.
REMIGIUS HERMANNUS ZINCK
Mœno-Francofurtanus.

ARGENTORATI:
Typis JOHANNIS-PHILIPPI MÜLBI,
ACADEMIÆ TYPOGRAPHI,
M. DC. XLV.

DE VOLVNTATE DEI, GRATIA ET SC. MED.

SECTIONIS PRIMÆ

CAPUT II.

De voluntatis Dei distinctione in decernentem, quæ & operans dicitur & præcipientẽ, quam & exigentem vocant.

HIs de *voluntate Dei efficaci* propositis meditationibus Triglandi progrederis ad discrimen, quod meditatus es inter voluntatem Dei decernentem, quam hucusque operantem, omnipotentem, efficacem, universalem appellasti, & inter voluntatem Dei præcipientem sive exigentem, quam non semper cum operatione, omnipotentia, & efficacia coniunctam esse statuis. §. 1. Proponam tuam meditationem integram, ne mutilam illam propositam esse conqueraris. Sic igitur loqueris. *Inter cæteras autẽ creaturas, Deus duas fecit ratione instructas, Angelos sc. & homines. Hæ igitur, prout subsunt voluntati divinæ, dupliciter debent considerari, vel ut creaturæ simpliciter, vel ut creaturæ ratione præditæ. Priori modo si considerentur, voluntati divinæ jam explicatæ, cum reliquis creaturis, subiectæ sunt: Posteriori modo etiam voluntati isti subiectæ esse debent, uti quævis alia creatura, quæcunq; sit: Nam ratio illarum nec subsistere potest, nec vim suam exerere, simul cum illis, quæ ei coniuncta sunt, nisi ex conservatione & motione divina. Attamen quâ ratione instructæ sunt, reliquis creaturis præpollent ut quæ Deum cognoscere possunt, & ex cognitione diligere, actionesq; suas ex ratione & prævia deliberatione certo modo instituere. Quare peculiaris hic debet*

Sententia Triglandij de voluntate decernente & præcipiente ex Medit. p. 6. & seqq. proponitur.

agnoſci voluntas Dei, creaturis illis manifeſtata atque præſcripta, cui ſe ſubmittere, & ſecundum quam actiones ſuas inſtituere debeant. Hæc eſt voluntas, qua Deus ab iſtis creaturis agnoſci vult is qui eſt, ſc. ſummum bonum, omnis boni origo, & ut talis ab illis diligi: quæq; vult, ut illa ſe mutuò, tanquam unius naturæ participes, diligant. Reliquæ creaturæ à Deo pendent, & ab illo diriguntur, ſine ſenſu ſuo & cognitione: hæ verò ſua ratione cognoſcere poſſunt & debent, ſe a Deo pendere & dirigi. Quapropter hæ ſub iſta directione, ad Deum autorem, conſervatorem & gubernatorem ſuum adſcendere debent, ut eum ratione ſua cognoſcant, voluntate expetant, omniq; affectu ei adhæreant, adeoque omnia ſua, tam interna, quam externa, ad nutum voluntatis eius componant. Hæc ergo eſt illa voluntas Dei, quæ creaturas illas peculiariter reſpicit, ut ratione inſtructas, qua Deus quidpiam ab illis agi vult vel omitti. Vnde non immeritò voluntas exigens, præcipiens appellatur. Eſtq; norma omnium actionum, quæ à creaturis illis, angelis ſc. & hominibus, prodire poſſent, à qua vel bonæ, vel malæ cenſendæ ſunt: bonæ, ſiquidem ad normam illam componuntur: malæ, ſi ab ea deflectunt. Vnde facile eſt colligere diſcrimen inter illam priorem Dei voluntatem, quam decernentem, operantem, diximus: & hanc, quam præcipientem, exigentem, appellamus. Illa n. voluntas univerſalis eſt, comprehendens & dirigens omnes in univerſum creaturas, omnesq; earum actiones: hæc particularis, obnoxias ſibi reddens ſolas creaturas rationales & quidem qua tales. Illa, ut effecta ſua producat, adhibet Dei potentiam, quare & efficaciter agit ac movet, nec ſine ſuo unquam fruſtratur: Hæc potentiam Dei non adhibet, ſed exigit tantum ac præcipit; vultq; à creatura potentiam ſibi à Deo inditam adhiberi, ut effectum poſtulatum ipſa producat, quare finem ſuum non ſemper aſſequitur. Illa planè eſt libera. Deo n. plane liberum fuit, creaturas producere vel non producere, conſervare vel non conſervare, & pro ſapientia ſua dirigere, quomodo & quocunque vellet. Nam quicquid Deus de creaturis decrevit & ſtatuit, id liberrimè decreuit juxta beneplacitum voluntatis ſuæ. Hæc a. voluntas neceſſitatem habet, non quidem illam abſolutam, qua Deus ſeipſum, ut ens neceſſarium & neceſſariò bonum, neceſſariò diligit, ſed hypotheticam, qua ex ſuppoſito productionis creaturarum illarum, & rationis qua illas inſtruxit, neceſſariò vult & poſtulat ab illis obœdientiam illam ſive dilectionem. Nam Deus non poteſt non velle ſui dilectionem, ex toto corde & animo, niſi neget ſe eſſe ſum-

ſummum bonum. Non poteſt obœdientiam à creatura rationali non exigere, niſi deneget ſibi ſummum imperium. Non poteſt non velle, ut ſe invicem diligant creaturæ illæ, niſi neget eis eiuſdem naturæ communionem & impreſſam ſui imaginem. Obœdientia quoque voluntati illi præſtita non poteſt Deo non eſſe grata, ſicut nec poteſt eam non exigere. Vnde e contrario inobœdientia ei repugnans Deo non poteſt eſſe non exoſa. Quapropter hinc oritur voluntas approbans & improbans: approbans obœdientiam ſive actiones præcepto ſuo conformes; improbans verò inobœdientiam ſive actiones cum præcepto & voluntate illa ſua non convenientes: ſive voluntas, quam vocant complacentiæ & diſplicentiæ. Voluntas quidem prima, & neceſſaria, qua Deus ſeipſum vult & diligit, omni ratione voluntas complacentiæ nominari poteſt: quia ſeipſo, ut ſummo & infinito bono, Deus perfectiſsimè delectatur in filio & ſpiritu ſancto. Voluntas quoque ſecunda, qua Deus de rebus omnibus extra ſe liberrimè & ſapientiſsimè decrevit, easq; potentia ſua effectas vult, omninò iſthoc nomine digna eſt. Deo enim meritò placent omnia opera ſua. Vidit enim Deus omnia, quæ fecerat, & ecce erant valdè bona, Gen. 1, 31. *Verum nulla ei reſpondere poterat voluntas diſplicentiæ. Nihil enim illic erat, quod Deo diſpliceret: cum primum ipſe eſſet omnia infinitè in ſeipſo, deinde & eſſet omnia in ſe & in creaturis ſuis. Quicquid autem præterea cogitari poteſt, nihil erat præter nudum & negativum non ens. Hic autem, ſc. in actionibus creaturarum rationalium, cum iſta voluntate Dei non convenientibus, invenire eſt ei quod placet Deo è diametro oppoſitum, ideoq; omni modo ei diſplicens. Quare peculiari ratione hic datur voluntas complacentiæ & diſplicentiæ. Quia ergo Deo improbatur contrarium eius quod hac voluntate exigit & præcipit, hinc voluntati illi exigenti reſpondet voluntas contrarium vetans & prohibens. Niſi quis potius amet dicere, unam eandemq; eſſe voluntatem, quæ illud præcipit, hoc probat. Hanc excipit voluntas, quæ bona vult obœdientibus, mala inobœdientibus, ex qua proinde promiſsiones & minæ oriuntur. Vnde non inepte voluntas promittens & minans dici poſſet. Bono enim, quod promittit Deus obœdientibus, teſtatum vult obœdientiam ſibi gratam eſſe: malo autem quod minatur inobœdientibus, averſari ſe omnem inobœdientiam. Sicut verò hæc voluntas quaſi oritur ex voluntate præcipiente & approbante, ex una, vetante & improbante ex altera parte, quæ neceſsitatem aliquam in ſe continet: ita & huic voluntati aliqua poteſt tribui neceſsitas, qua creatu-*

turis rationalibus sibi obœdientibus, quam diu sunt & obœdiunt, necessariò velit bene esse. Dico, quamdiu sunt: quia negandum non videtur, quin Deus eas abolere & in nihilum redigere possit. Deus enim, qui ex absoluta voluntate eas creavit, & donis illis instruxit, eadem libertate permittere posset, ut in primam originem, sc. in nihil, resolverentur. Et quicquid creaturæ illæ sunt, habentve, aut præstant, id totum sunt, habent & præstant à Deo, ex virtute & conservatione divina: quare Deus, qui de suo potest facere, quod ipsi visum est, sua illa dona absque ullius injuria sibi recipere posset. Dico, dum obœdiunt: Nam per se, sua natura, deficere possunt, & obœdientiam suam deserere. Sunt enim ipsa in se sua natura mutabiles, nisi gratia Dei, immutabiliter illas conservans, accedat. Quamdiu autem tales sunt sc. obœdientes, & in bono obœdientiæ à Deo conservantur, fieri non posse videtur, ut iis male sit, sive ut Deus eas affligat, miserasve faciat, aut calamitatibus obruat. Nam ut Deus creaturam voluntati suæ præcipienti & approbanti conformem, in qua invenit imaginem suam, qua delectatur, (ut inquam) eiusmodi creaturam aversetur, & prorsus miseram reddat, non videtur cum ipsius natura, bonitate & voluntate consentire. Hæc necessitas trahit & necessitatem voluntatis improbantis ac punientis. Quia enim inobœdientia non potest Deo non esse ingrata, imò exosa, eò quod infinitam eius lædit maiestatem, fieri etiam non potest, quin peccatorem, ut peccato inquinatum, odio habeat, ac proinde pœnis peccato convenientibus punire velit. Voluntas hæc approbans & ex approbatione promittens; uti & voluntas improbans & ex improbatione comminans, respectum habet & relationem ad obœdientiam præcipiente voluntate mandatam, & inobœdientiam prohibente vetitam: unde neutra se exerit actu in obiectum, sive approbandum, & ex promissione remunerandum; sive improbandum, & ex comminatione puniendum, nisi in quo obœdientia, vel inobœdientia locum habet. Obiecta vero, quia ratione & voluntate sunt prædita, & proinde, aut secundum rationis judicium, aut secundum affectus impetum, (cui & ipsa ratio, tum obsequitur, tum judicium suum accommodat) vel obœdientiam præstant, vel inobœdientiam, quod ipsorum respectu contingens & mutabile est. hinc exurgit, quod promissiones & comminationes, ex voluntate illa approbante & improbante prodeuntes, conditionaliter proponantur. Bona promittuntur sub conditione obœdientiæ; mala comminatoriè denunciantur sub conditione inobœdientiæ. Voluntas Dei

in ipso

in ipſa bona & mala fertur categoricè, illa approbando, hæc improbando. Verum, quia hoc hominibus indicari debet, quorum eſt, ex rationis judicio hoc illudve eligere & ſequi, hinc eſt, quod, juxta illorum indolem, conditionaliter id in exponatur. Hic ergò ſe nobis patefacit illa, quæ etiam *ab orthodoxis conditionata Dei voluntas dicitur; quod proinde ab hominibus, pro natura & conditione ipſorum, conditionatè concipiendum eſt. In voluntate Dei decernente & efficiente & efficaci, conditionata nulla volitio locum habere poteſt; quia Deus nec incertò quidpiam velle poteſt, nec à creaturis, ſive à cauſis ſecundis pendere, quod tamen utrumque fic ſe habere deberet, ſiquidem illa Dei voluntas eſſet conditionata. Voluntas quoque exigens ſive præcipiens, conditionata dici non poteſt. Nulla enim dari poteſt conditio, ſub qua Deus bonum exigat, malum vetet. Hoc enim ſi eſſet, poſſet Deus, remota illa conditione, malum exigere, bonum vetare. Nec voluntas approbans & improbans conditionem admittit: Nam ut Deus ſub nulla conditione bonum exigit, malum vetat; ita nec fingi poteſt ulla conditio, ſub qua bonum approbet, eoq; delectetur, & è contrario malum improbet, illudq; averſetur. Conditio omnis hic invenitur in applicatione, qua vel bonum ſalutis, vel malum interitus, hominibus applicatur, prout, vel obœdiunt, vel refragantur. Attamen novit Deus, quinam ſint obœdituri, qui non ſint: idq; novit ex decreto voluntatis illius, quam efficientem diximus, cui voluntas permittens reſpondet, qua decrevit bonum quidem efficere, ſive efficere, ut ab hominibus præſtetur; malum verò permittere. Ergo conditio omnis eſt, non in voluntate Dei, ſed in manifeſtatione voluntatis approbantis & improbantis, quia promiſſiones hominibus, juxtà naturam illorum & indolem, conditionatè proponuntur; unde & eas ipſi non niſi ſecundum conditiones illas ſibi applicare poſſunt. In hac voluntate exigente, cui approbans & promittens quaſi ſubſerviunt, exhibet ſe nobis voluntas illa, quam inefficacem vocant; quatenus non fit ab hominibus, quod Deus voluntate illa ab iis fieri vult ſive exigit. Voluntas ergò Dei efficax eſt voluntas illa decernens, operans, efficiens: voluntas verò inefficax voluntas hæc exigens & præcipiens. Illa enim (ut dixi) potentiam Dei habet executricem: hæc non, ſed petit voluntatem hominis ſibi ſua adhibita potentia obſequi. Quia autem voluntas hæc præcipiens & vetans, ſimul cum promiſſionibus & minis, verbo Dei planè eſt manifeſta, hinc eſt, quod revelata Dei voluntas à Theologis orthodoxis appellatur: ſicut voluntas decernens & efficiens, ob rationem*

ante indicatam, arcana dicitur. Quamobrem cum voluntas Dei propter revelationem à Theologis Scholasticis voluntas signi dicatur, Theologi plerique orthodoxi aut reformati voluntatem hanc revelatam voluntatem signi non ineptè appellarunt. Hæc enim planè significata, indicata, manifestata est à Deo, cum voluntas decernens, efficiens, maximam partem sic occulta. Quare sumendo voluntatem signi non pro signo voluntatis divinæ (ut Scholastici eam ineptè acceperunt) sed pro illa ipsa voluntate Dei, quæ præceptis & promissionibus, prohibitionibusq; & comminationibus, significata & manifestata est, nullam video rationem, quare voluntas signi minus sit dicenda voluntas Dei propriè dicta, quam voluntas decernens, cui voluntatis beneplaciti nomen dederunt. Ratio enim nulla apparet, quare voluntas illa, qua Deus justitiam & obœdientiam gratam sibi habet, eamq; exigit: injustitiam verò & inobœdientiam aversatur, eamq; reÿcit & prohibet, quare (inquam) illa voluntas, non sit voluntas Dei propriè dicta. Hoc tamen discrimine, quod in illa voluntate, quam decernentem & efficientem vocamus, Deus considerandus venit ut summum ac primum ens, omnis entis creator perpetuus, in quo & per quem omnia consistunt: in hoc verò, quam præcipientem & exigentem dicimus, ut summum habens in creaturas rationales imperium, à quibus petit, ut suæ voluntati morem gerant. In illa ut qui efficaciter creaturas omnes perducit ad fines à se præstitutos: in hac verò ut qui creaturis rationalibus præscribit solummodo finem, ad quem vult illas collimare, à quo tamen sæpe aberrant. Illa creaturas omnes potenter dirigit operando, determinando, flectendo, quo vult, quin & præcepta, promissiones ac minas creaturis ratione præditis proponendo, adeoq; varia media pro sapientia sua adhibendo: Hac verò ducit creaturas rationales, hortatur & incitat, juxta earum conditionem præceptis & suasionibus. Quare illa voluntate Deus propriè & omnimodo ut Deum se gerit, & omnis entis originem ac finem ultimum, cuius actiones nulla creaturæ exprimere queant: Hac verò ut Deum quidem se gerit, quatenus divina potestate mandat, summaq; vel bona pollicetur, vel mala minatur: attamen in executione humano agit modo, eo sc. quo homo alter alterum ad se allicere, monitisq; & suasionibus movere satagit ut sibi obœdiat. Itaque illam divino prorsus modo exequitur, à nulla creatura imitabili: hanc verò humano. Quin & juxta illam divino modo efficit, ut homines humano modo, naturæ sc. suæ convenienti, hanc faciant: & sic efficit divino suo agendi modo, ut homines

hanc

hanc exigentem, revelatam voluntatem faciant, quod humano suo agendi modo apud illos non effeciſſet. hæc de iſta diſtinctione diſſeruiſti.

Colligamus in ſummam, quæ tribuiſti voluntati Dei decernenti ſive operanti, quæ ex adverſo voluntati Dei præcipienti ſive exigenti aſſignaſti. Voluntas Dei decernens ſive operans, juxta te, omnes creaturas irrationales & rationales involvit & velut ſuprema motrix trahit ad ſuum propoſitum: eſt enim univerſalis, comprehendens & dirigens omnes in univerſum creaturas, omnesq; earum actiones: adhibet potentiam, ut effecta ſua producat, quare & efficaciter agit ac mouet, nec fine ſuo unquam fruſtratur: plane libera eſt, potuitq; creaturas vel producere vel non producere, conſervare, vel non conſervare; poteſtq; pro ſapientia dirigere, quomodo & quocunque vult: digna eſt, cui nomen voluntatis complacentiæ tribuatur, ſed cui nulla potuerit reſpondere voluntas diſplicentiæ: nullam conditionatam volitionem in ſe complectitur, propter certitudinem & independentiam: habet potentiam Dei executricem: eſt occulta maximam partem: in ea Deus conſiderandus, ut ſummum & primum ens, omnis entis creati autor perpetuus, in quo & per quem omnia conſiſtunt: in illa Deus efficaciter creaturas omnes perducit ad fines à ſe præſtitutos: illa omnes creaturas dirigit operando, determinando, flectendo quò vult, quin & præcepta, promiſſiones ac minas creaturis ratione præditis proponendo, adeòque varia media pro ſapientia ſua adhibendo: illa voluntate Deus propriè & omnimodo ut Deum ſeſe gerit, & omnis entis originem ac finem ultimum, cuius actiones nullæ creaturæ exprimere queant: juxta eam divino modo efficit, ut homines humano modo naturæ ſc. ſuæ convenienti voluntatem ſuam exigentem faciant. Ex adverſo voluntas Dei exigens rationales duntaxat creaturas attingit, ceu norma omnium actionum, quæ à creaturis illis, angelis ſc. & hominibus prodire poſſunt: non adhibet potentiam Dei, ſed exigit tantum ac præcipit: vultq; à creatura potentiam ſibi à Deo inditam adhiberi, ut effectum poſtulatum ipſa producat, quare finem ſuum non ſemper aſſequitur: eſt quodammodò neceſſaria, quatenus Deus ex ſuppoſito productionis creaturarum illarum & rationis qua illas inſtruxit,

§. 2. *Summa differentiæ inter Dei voluntatē decernentem & præcipientem colligitur.*

ſtruxit, neceſſariò vult & poſtulat ab illis obedientiam ſive dilectionem: ex ea oritur voluntas approbans obedientiam ſive actiones præceptis ſuis conformes, & improbans inobedientiam ſive actiones cum præcepto & voluntate illa non convenientes: quæ eſt ipſa voluntas complacentiæ & diſplicentiæ: ex ea rurſus pullulat voluntas promittens, quæ bona vult obœdientibus, & minans, quæ mala vult inobœdientibus: & quidem cum aliqua neceſſitate, qua creaturis rationalibus, ſibi obœdientibus, quam diu ſunt & obœdiunt, neceſſariò bene vult eſſe: & rurſus inobœdientib⁹ pœnas peccato convenientes infligit: hæc ipſa voluntas approbans & ex approbatione promittens, itemq; altera improbans & ex improbatione comminans non exeritur actu in objectum, niſi in quo vel obœdientia vel obœdientia locum habet: hinc exurgit ut promiſſiones & comminationes ex voluntate approbante & improbante prodeuntes conditionaliter proponantur. Conditio tamen omnis non in voluntate Dei, ſed in manifeſtatione voluntatis approbantis & improbantis eſt, quia promiſſiones hominibus juxta naturam & indolem illorum conditionatè proponuntur: Voluntas exigens eſt inefficax, non habet potentiam executricem, ſed petit voluntatem hominis ſibi ſua adhibita potentia obſequi: eſt planè manifeſtata verbo Dei, atque ideo revelata voluntas dicenda: itemque ſigni. In ea conſiderandus Deus, ut ſummum habens in creaturas rationales imperium, à quibus petit, ut ſuæ voluntati morem gerant. In ea creaturis rationalibus Deus præſcribit ſolummodò finem, ad quem vult illas collimare, à quo tamen ſæpe aberrant. Per eam ducit creaturas rationales, hortatur & incitat juxta earum conditionem præceptis & ſuaſionibus. In ea ut Deum quidem ſe gerit, quatenus divina poteſtate mandat, ſummaq; vel bona pollicetur, vel mala minatur, attamen in executione humano agit modo, eo ſc. quo homo alter alterum ad ſe allicere, monitisque & ſuaſionibus movere ſatagit, ut ſibi obœdiat.

§. 1. Nunc videamus, quomodò hæc diſcriminatio conſtet. Vt id poſſimus, notamus I. quod S. Paulus Deum vocat Eph. 1, 11. τὰ πάντα ἐνεργοῦντα κατὰ τὴν βουλὴν τοῦ θελήματος αὐτοῦ, *omnia operantem ſecundum conſilium voluntatis ſuæ.* Ponit igitur tria in Deo, quæ diſtin-

distinctè nobis concipienda. Principium efficiens est τὸ θέλημα θεοῦ, *voluntas Dei*. Nimirum voluntas Dei est omnium actionum divinarum causa. Deinde norma est ἡ βουλὴ τοῦ θεοῦ. Quæ in mysterio redemtionis nostræ & gubernationis generis humani ad sempiternam beatitudinem vocatur πρόθεσις, *propositum*. Hinc est πρόθεσις τοῦ τὰ πάντα ἐνεργοῦντος κατὰ τὴν βουλὴν τοῦ θελήματος, *Propositum operantis omnia secundum consilium voluntatis suæ*. v. 11. Vocatur ἴδια πρόθεσις ἡ χάρις δοθεῖσα ἡμῖν ἐν χριστῷ πρὸ χρόνων αἰωνίων, *Proprium propositum & gratia data nobis in Christo ante tempora secularia*. 2. Tim. 1, 9. Vocatur & μυστήριον τοῦ θελήματος θεοῦ, *mysterium voluntatis Dei*, quo exponitur adeoque ab æterno comprehensa est εὐδοκία θεοῦ, ἣν προέθετο ἐν χριστῷ, *beneplacitum quod proposuit in Christo*. v. 9. Ad quam πρόθεσιν sequitur κλῆσις vocatio, unde κατὰ πρόθεσιν κλητοὶ *Rom.* 8, 28. *secundum propositum vocati*. Quam πρόθεσιν sequitur πρόγνωσις præscientia, non illa generalis, sed ea, qua Deus præscivit, qui juxta πρόθεσιν κλητοὶ extituri & cum effectu fidei perseverantis vocandi sint in tempore, quos proinde ab æterno προόρισε prædestinavit. In universum autem βουλὴ consilium est norma divinarum actionum. Consilium dicimus, non quod ex investigatione ambiguorum inventum est eventuum, & media colligit ad finem perducentia omnibus bene consideratis optima, idq; intellectus discursu atque agitatione; quale in Deo non admittit ipsius summa perfectio: sed ideam ordinemque, quem actionibus in tempore edendis præfinivit summa sapientia ab æternitate. Potest etiam vocari propositum de universa gubernatione Dei, quo ab omni æternitate prævisis omnibus possibilibus determinavit certis decretis certam rerum seriem, in qua decurreret totius mundi duratio, in quo proposito divina inprimis bonitas & inexhaustæ planè divitiæ cum potentia æterna & infinita sapientia, suaviter omnia disponente, patefierent. Equidem verbum προτίθεμαι & πρόθεσις nomen, de Deo usurpatum, extra materiam de generis humani salvatione & beatificæ sapientiæ communicatione vix, illi adscribetur in N. Testamento. Nam ad Rom. 8, 28. *vocati secundum propositum* & diligentes Deum coniunguntur, estque propositum Dei illud æternum decretum, de quo copiosè in *cap.* 8. antecedentibus disseruit,

Norma Voluntatis Dei in actionibus ab ipso Deo definita, propositum Dei.

seruit, ex quo à damnatione liberatio, insertio & unio cum Jesu Christo, lex spiritus vitæ, quæ est in Christo Jesu ad liberationem à lege peccati & mortis, ex quo missio filii Dei in similitudine carnis peccati, & peccati κατάκρισις ἐν τῇ σαρκὶ, v. 1. 2. 3. ex quo gratiosa inhabitatio Jesu Christi in nobis cum Spiritu suo, v. 9. 10. ex quo vivificatio mortalium nostrorum corporum per inhabitantem in nobis Spiritum Jesu, v. 11. ex quo nostra admirabilis ἀγωγὴ, v. 14. υἱοθεσία v. 15. μαρτύρια v. 16. κληρονομία, δόξα v. 17. 18. 19. ἐλευθερία τῆς δόξης v. 21. ex quo συναντιλήψις πνεύματος in omnibus imbecillitatibus nostris & ὑπερένδοξις v. 26. 27. ex quo προορισμὸς, κλῆσις, δικαίωσις v. 29. 30. & seq.

§. 2. *Locus Rom. 9, 11. expenditur.*

Sic *ad Rom. 9, 11.* ἡ κατ' ἐκλογὴν πρόθεσις respicit ad illas speciales promissiones, quæ, cum jure primogenituræ Esavo debebantur, summo divino jure Jacobo & eius posteritati alligatæ sunt, de quibus supra v. 4. 8. 9. ubi ἐκλογὴ non est norma προθέσεως. Etenim *Eph.* 1, 9. 10. mysterium voluntatis divinæ secundum beneplacitum ejus in Christo nobis propositum, manifestatum dicitur ad dispensationem in plenitudine temporum factam, tendentem ad recollectionem in Christo capite omnium sive in cœlis sive in terris. Et v. 11. adnotatur, quod & in Christo sortis sanctorum in luce participes facti fuerimus & prædestinati sive electi juxta propositum ejus, qui operatur omnia in omnibus. Itaque propositum divinum de communicandis salutaribus mysteriis, de collectione ad Christum ceu caput, de distribuenda sorte lucis sempiternæ hactenus præcedit, & ad propositum hoc respicit πρόγνωσις, sive intuitio generis humani, ejusque juxta illud attenditur *sive* conformitas, *sive* difformitas. Imò ad propositum hoc respicit ἐκλογὴ. Quia enim ἐκλογὴ discernit inter homines, oportet, si bene ordinatam statuere velimus, ut sit ad certam aliquam mensuram facta. Ea vel est in operibus hominum & qualitatibus, ex quibus fluunt opera, vel est in proposito & eo, quod vi rerum propositi applicatarum in homine παθητικῶς sese habente oritur, hoc est in immediato propositi effectu, ab æterno præscito. Prius negant Paulini canones. E. posterius eligendum est. Est igitur electio secundum propositum. Quomodo igitur vocatur ab

Apo-

Apostolo ἡ κατ' ἐκλογὴν πρόθεσις? Beza in annot. maior. h.l. vertit: *Propositum Dei, quod est secundum electionem ipsius.* & addit: *id est, decretum Dei quod proficiscitur ex ipsius mera voluntate, qua illi visum est, uno praterito alterum assumere.* Non videtur Beza electionem propositi mensuram constituere aut velle, quod propositum Dei ad electionem ceu regulam respexerit, quia dicit, decretum Dei, quod procul dubio electionis decretum est, proficisci ex ipsius mera voluntate, qua ei visum est, uno præterito alterum omittere: quæ mera voluntas Dei videtur ab illo constitui ipsum propositum Dei. In annot. min. adscribit: *Dei decretum, quod proficiscitur ex ipsius mera voluntate, qua illi visum est, uno præterito alterum eligere.* Utique illa voluntas, qua Deo visum est, uno præterito alterum eligere, non est ipsa ἐκλογὴ, sed est θελήματος πρόθεσις. Oportet igitur propositionis κατὰ significationem designare aliam. Id quidem non dissimulat Piscator. Ita enim transfert hunc locum: *ut propositum Dei, quod pertinet ad electionem, maneret.* In analysi autem indicat, ex proposito Dei manasse & adoptionem sive electionem, & rejectionem sive reprobationem. Denique in scholiis verò ista habet. *Propositum Dei*] ἡ τοῦ θεοῦ πρόθεσις, *id est, decretum æternum, quo Deus sibi proposuit, quos visum est servare, & quos visum est perdere. Quod pertinet ad electionem*] ἡ κατ' ἐκλογὴν, *id est, ex quo proposito elegit, quos voluit. Propositio* κατὰ *hic non notat causam procreantem, sicut Eph.* 1, 5. & 11. *sed objectum, sicut* 2. *Cor.* 11. *vers.* 21. *ubi dicitur,* κατὰ ἀτιμίαν λέγω, *id est,* περὶ ἀτιμίας. Et Claudius *Alberius Triuncurianus* de fide Cathol. Rom. orat. apodict. 5. p. 299. per propositum Dei accipit consilium, & ait, *si Dei consilium & finis is, quem sibi proponit Deus, est fundamentum rejectionis, multò magis Dei consilium est fundamentum electionis & successionis legitimæ.* Concedit igitur, propositum Dei normam electionis esse, non verò electionem propositum Dei regulare. Eò & propendet Calvinus, cum ex his verbis elicit; *Habemus ergò totam electionis nostræ firmitudinem in solo Dei proposito esse conclusam.* Quocirca in universum non propositum electioni, sed proposito electio subordinata est. Quanquam nolumus silentio præterm ittere, quod alibi probabimus, quod h. l. πρόθεσις atque ἐκλογὴ primò & immediatè non versentur in ipso ad

sempiternam beatitudinem electionis & ordinationis negotio, utpote de quibus *Rom.* 9, 11. Paulus non sermocinatur. Aliàs non ineptè diceretur ἡ κατ' ἐκλογὴν πρόθεσις, id quod ad electionem tendit propositum, ἡ ἐκλέξασα πρόθεσις propositum eligens, sicut *Act.* 17, 28. quidam τῶν κατ' ὑμᾶς ποιητῶν ad vos sc. attinentium Poetarum, pro τῶν ὑμετέρων ποιητῶν vestratium Poetarum: 2. *Cor.* 8, 2. ἡ κατὰ βάθους πτωχεία quæ ad fundum sc. pervenit seu progressa est paupertas, pro ἡ βαθεῖα πτωχεία profundissima paupertas.

§. 3. Cæterum illius προθέσεως objectum *tam ipsi thesauri* sunt ab æterna sapientia ordinati ad generis humani salutem, *quam ipsi homines*, quibus istos thesauros dispensare ad conversionem, justificationem, glorificationem sibi proposuit, quosq; divina ad hanc πρόθεσιν προγνώσει elegit. De hoc loqui S. Paulum *Rom.* 8, 28. *ex v.* 29 liquet. De priori epistola ad *Eph.* 1, 9. 11. & 2. *Tim.* 1, 9. ubi Paulus ait, Deum nos salvasse & vocasse vocatione sancta sinceraque, non secundum opera nostra, sed κατ' ἰδίαν πρόθεσιν καὶ χάριν τὴν δοθεῖσαν ἡμῖν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ πρὸ χρόνων αἰωνίων, secundum proprium propositum & gratiam, quæ data est nobis ante tempora secularia. Ubi πρόθεσις καὶ χάρις est πρόθεσις κεχαριτωμένη, aut προορισθεῖσα χάρις. Est propositum, quod datum est nobis in Christo, quod explicatum, effectum, applicatumq; est in tempore à Christo & per Christum. *Rom.* 16, 25. *Eph.* 1, 4. *Col.* 1, 26. *Tit.* 1, 2. c. 2, 11. 13. Quam πρόθεσιν nervosè & graviter describit S. Paulus *Eph.* 3, 8. & seq. quod sc. sit ille ipse thesaurus imperveſtigabilis Christi, illud mysterium absconditum in Deo à seculis, qui omnia condidit per Jesum Christum, ipsa multis modis varia sapientia Dei, quæ per Ecclesiam principatibus & potestatibus supercœlestibus innotuit, (ad quæ verba ita S. Chrysostomus scribit: *Fac, hominibus non fuisse revelatum. Nunquid & Angelos & Archangelos Principatusq; & potestates illuminas? Vtique inquit. Atqui cum in Deo fuerit absconditum, in Deo, inquam, qui universa condidit per Jesum Christum, quomodo audes hoc dicere? Sed quomodo hoc manifestum factum est angelis? per Ecclesiam. Non dixit autem simpliciter,* varia Dei sapientia, *sed* vehementer varia. *Mysterium itaque istud quid fuerit, ignorabant angeli. Nam si principatus ignorabant, utique multò*

Locus Eph. 3, 8. & seq. explicatur.

multò magis angeli. Quid igitur? num & archangeli non cognoverunt? Neque etiam illi? Vnde cogniturí? Quo revelante? Quando vid. nos cognovimus, & per nos illi. Similia habet in prolog. ſuper Johann. ubi de Johanne: *Nihil nobis humanum, ſed à Spiritu S. profundis & abditis theſauris omnia proloquitur, quæ neq; Angeli, priusquam hic diceret, noverunt. Namq; & ipſi nobiſcum per Johannis vocem & per nos didicerunt, quæ cognovimus, & quod nobiſcum B. etiam Paulus his verbis ſignificavit, ut innoteſcat principatibus & poteſtatibus in cœleſtibus per Eccleſiam multiformis ſapientia Dei. Si igitur principatus & poteſtates, Cherubinq; & Seraphin hæc per Eccleſiam didicerunt, planè conſtat, ipſos angelos ſumma cum attentione ejus ſeſe auditores exhibere: quippe idcirco non parum honoris conſequimur, quod nobiſcum angeli diſcant, quæ neſciunt. Quod autem per nos, longè magis honoramur &c.*) Hæc enim omnia ὁ προθέσεως τῶν αἰώνων & κατὰ πρόθεσιν τῶν αἰώνων, quam in Domino noſtro Chriſto Jeſu fecit, nobis ad illuminationem noſtram & deductionem ad communionem ſanctorum revelata ſunt. Ex hac æterna προθέσει facta eſt in tempore πρόθεσις illa juſtificantis Dei, qua Chriſtus nobis eſt προτεθειμένος ἱλαστήριον διὰ τῆς πίστεως ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι &c. *Rom.* 3, 25.

§. 4.

Quamvis autem propoſitum Dei, quatenus ex S. literis nobis conſtat, ad ſalutis humanæ œconomiam pertineat, aut ea concernat ſaltem, quæ huicipſi ſublimi negotio ſunt proxima, non tamen dubitandum eſt, de omni re in temporis plenitudine adornanda fuiſſe Dei propoſitum, ad quod ſe referunt etiam omnes actiones in tempore. Sed non opus eſt, ut eò uſque evagemur. In ea, quam circa hominis gubernationem divinam meditamur, materia βουλὴ & πρόθεσις omninò idem ſunt & regulæ rationem habent. Sic *Luc.* 7, 30. βουλὴ θεοῦ, quam ſpreviſſe dicuntur Phariſæi, eſt ipſum propoſitum Dei, quo ab æterno ſanxit per baptiſmi promulgationem ad regni cœlorum initiationem ſincerè invitare Phariſæos. Sic *Act.* 2, 23. ὡρισμένη βουλὴ Dei, eſt ejus ſanctiſſimum propoſitum, quo præviſis omnibus mediis poſſibilibus, quibus ad immolationem Salvatoris mundi potuiſſet commodè pervenire, ſibi propoſuit per ἔκδοσιν & quandam quaſi expoſitionem certo tempore mundo & cum primis Phariſæorum & Sacerdotum ſanguinariæ ſocietati committere & in-

Locus Act. 2, 23. & c. 4, 28. explicatur.

defensum peculiari patrocinio, quo extraordinariæ tempestates ab ipso arcerentur, relinquere, post quam pateret λήψει etiam improbissimæ. Quod propositum simul regulam continet, quousque progrederetur & intra quos limites subsisteret, aut quorsum ordinaretur, effrenis audacia. quemadmodum etiam ad hanc regulam προθέσεως sempiternæ respiciendo *Act.* 4, 28. dicitur, convenisse contra sanctum Dei Patris filium, immensis sancti Spiritus charismatibus auctum, Pilatum & Herodem, Gentes & Israelitas, ut exequerentur, ὅσα ἡ χείρ θεοῦ καὶ ἡ βουλὴ θεοῦ προώρισεν γενέσθαι. Ubi nulla ratione dici potest, quæcunque quomodocunque fecerunt improbissimi illi atque immanissimi homines, cum omnibus singulisq; circumstantiis esse ita prædefinita, ut ad arcanam aliquam Dei δόξαν referenda sint. Neque enim sequitur, illi ex gentilissimo & judaismo improbè congregati fecerunt, ὅσα quanta & quæcunque manus & consilium prædefiniverunt: E. quæcunq; & quantacunq; illud conciliabulum Beliaal fecit, illa omnibus etiam cum circumstantiis sunt prædefinita à manu consilioq; divino. Namq; S. Lucæ ex ore S. Petri narratio ad ea, quæ cœlitus definita sunt manu consilioq; Dei, respicit: si quid ultra accidit, quod proposito consilioq; Dei non est consentaneum, hîc non attenditur. Non igitur ad βουλὴ Dei divinumq; propositum pertinent impia consilia factaque sive tanquam ad antecedens inevitabile atque arcanum decretum, quo illi essent ad ea prædeterminati, quia talibus sese immerserunt, sive ad integrum quidpiam, ad quod complendum illa quoque suas conferrent partes, sed ut ad id, quod, cum aliquid destinat mortalium cœlesti perfectioni, ad eam usurpare potest, etiam quæ planè abhorrent à divina voluntate consilioque, si in se considerentur suisq; principiis. Sic *Act.* 5, 39. βουλὴ ἐκ θεοῦ est propositum divinum, quod exposuerunt S. Apostoli, quod in orbem universum divina autoritate disseminare sibi quoq; proposuerunt, sc. quod Jesum, quem suspensum in ligno Judæi interfecerunt, Deus Abraham, Isaac & Jacob suscitaverit & velut autorem seruatoremq; exaltaverit ad dextram suam, ut per eum dispensaret pœnitentiam & remissionem peccatorum Israelitis

§. 5. Locus *Act* 13, 36. expēditur.

v. 30. 31. Sic *Act.* 13, 36. cum dicitur Davidem ætate sua inservi-

isse

visse τῇ θεῦ βυλῇ, omnino etiam intelligitur propositum divinum, quo Deus Opt. Max. ab æterno secum constituerat, illum Pastoralem puerum insperata excitatione regio balsamo inungere, in spem regni fovere, admovere summis aulæ regiæ negotiis, armare robore insuperabili, opponere hostibus populi sui immanibus, in thronum porro regalem collocare, complere felicitate multiplici, prosternere calamitatibus maximis, rursus erigere inter adversa, prophetam denique & typum pulcherrimum Filii sui incarnandi constituere. Quanquam, ut id etiam annotemus, nonnulli illud τῇ θεῦ βυλῇ, ad ἐκοιμήθη referunt, quod sc. Dei voluntate David obdormiverit, postquam ætati suæ inserviisset. Qua in re à B. Lutheri lectione recedunt etiam ex nostris Lucas Lossius *Comm. h. l. p.* 128. Brentius *hom.* 60. *in Act. Tomo* 7. *oper. p.* 250. Luc. Osiander *in Paraphr. h. l.* qui secuti sunt Erasmi editiones, quas etiam expressit Tigurina Lat. A. 1544. Basileensis Græca in 4. A. 1545. in 8. Brylingeri, in 8. Gallico-Latina Pernæ, in 8. Tigurina Græca Froschoveri, in 12. Basileensis Walderi A. 1536. in 16. Lugduno Batava Raphelengij A. 1601. græca: Vatabli in 8. ed. R. Stephani Latina. Genevensis græca in 4. Scaligeri. & editio Operis Regij, in fol. & alia exemplaria. Oecumenij *Comm. in Act. h. l. ex edit. Veron.* post ὑπηρετήσας etiam distinguit. & editio Aldina A. 1558. *in fol.* Venet. & R. Stephani *edit. in fol.* Beza hanc lectionem improbat, quia neque in vetustis exemplaribus reperitur, neque ulla ratione nititur: quis enim aliter quam voluntate Dei interveniente moritur? sed non omnes consilium Dei sibi pro vitæ scopo proponunt, vt David. De vetustis exemplaribus, dubitamus. Neque enim tot editiones sine archetypi alicuius favore in publicum datæ fuerunt. Et extat apud Cl. Bœclerum, Dn. Coll. & Affinem nostrum honoratissimum, exemplar vetustissimum MSCti Græci, ubi diserta est post ὑπηρετήσας distinctio. Et ratio addita non obstat, quominus Dei voluntas dormitioni Davidis præfigi & coniungi potuerit, non quidem ad designationem termini vitæ, sed modi, quo etiam moribundus David sese Dei voluntati planè resignavit. quod etiam Calvinus, cui alia, quam Bezæ, interpunctio placuit, annotavit. Cui & consonat R. Gualtherus hom. 92. in acta.

& Au-

& Auguſt. Marlorat. expoſ. Cath.h.l. Theophylactus græc.in Act. ed. Colon. uno continuo textu verba propoſuit, ὑπηρετήσας τῇ βουλῇ θεοῦ ἐκοιμήθη &c. licet L. Sifanius interpres diſtinguat more Eraſmi, in verſione. Sic & uno continuat contextu editio Henr. Stephani A. 1612. cum Is. Caſauboni notis: Δαυὶδ μὲν γὰρ ἰδίᾳ γενεᾷ ὑπηρετήσας τῇ τοῦ θεοῦ βουλῇ ἐκοιμήθη. Conjungit verò τῷ τοῦ θεοῦ βουλῷ cum ὑπηρετήσας, ſeparat ab ἐκοιμήθη, Syrus interpres, qui & conjunctionem interſerit. Velut & Arabicus, quem Fr. Junius ex Bibl. Palatina nobis ita præſentat: *David miniſtravit voluntati Dei in generatione ſua & obdormiens poſitus eſt cum patribus ſuis* &c. Joh. Chryſoſtomus *hom. 29. in Act. ed. Commel.* ita recenſet contextum Paulinum. Δαυὶδ μὲν γὰρ ἰδίᾳ γενεᾷ ὑπηρετήσας τῇ τοῦ θεοῦ βουλῇ, κεκοίμηται καὶ τοῖς πατέρας ἀυτοῦ. Nonnullæ editiones Vulgati Interpretis quidem ita textum proponunt; *David enim in ſua generatione cum adminiſtraſſet, voluntati Dei obdormivit*: fatentur verò Lorinus, Barth. Petri Lintrenſis, Saa & alij, diſtinctionem ibi incommodè poni, adeòq; collocandam eſſe, ſicut B. Luth. collocavit. Et Dietenbergius ita: Dann David / da er zu ſeiner Zeit gedienet hat dem Willen Gottes / iſt er entſchlaffen &c. Sed & editio Birckmanni Antverpiæ A. 1526. in 8. ita habet. *David enim in generatione ſua, cum adminiſtraſſet voluntati Dei, obdormivit* &c. R. Stephanus autem in edit. gr. A. 1549. in 12. βουλῇ ab ἐκοιμήθη diſtinguit, & edit. germ. Tigurina in 12. Froſchoveri ſuffragatur. Et hanc interpunctionem ſecuti ſunt Græcæ editionis Lugd. Batav. accurator A. 1633. interpretes Italicus, Gallicus Genevenſis, Anglicus, Belgicus, Piſcator, & ante illos omnes Conr. Pelicanus. Henr. Bullingerus in Com. h. l. utrinq; interpungit & ita textum exhibet: *Nam David quidem cum ſuæ ætati inſerviſſet, conſilio Dei, dormivit*: Verumenimverò ſive τῷ τοῦ θεοῦ βουλῷ conſilium Dei ad ὑπηρεσίαν reſtrinxerimus, ſive ad κοιμήσιν Davidicam, ad noſtram quidem cauſam quod attinet, nequaquam βουλῷ θεοῦ aliter, quam propoſitum Dei explicare neceſſe erit. Etenim etiam de beata ſanctorum ſuorum dormitione æterna Dei θέσις eſt. Sic & *Act.* 20, 27. Πᾶσαν βουλὴν τοῦ θεοῦ (Syrus habet צבינה דאלהא voluntatem Dei) *Omne conſilium Dei*, quod S. Paulus non intermiſerat annunciare Epheſiis, eſt & ipſum

Locus Act. 20, 27. expenditur.

ipsum propositum divinum dispensandorum ad beatitudinis divinæ collationẽ cœlestium bonorum. In eo continentur τὰ συμφέροντα, de quibus *v.* 20. quæ Syrus vertit רפקח הוא לנפשתכון quod expediens est animabus vestris. Sunt autem τὰ συμφέροντα, quæ efficiunt τὴν εἰς τὸν θεὸν μετάνοιαν καὶ πίστιν τὴν εἰς τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν *v.* 21. quæ complectitur Evangelium gratiæ Dei *v.* 24. quo explicatur regnum Dei *v.* 25. cum omnibus ad eius constitutionem pertinentibus, inprimis autem illa περιτέμνεσις, quam Deus διὰ τοῦ ἰδίου αἵματος per proprium sanguinem effecit. *v.* 28. Sic & ἀμετάθετον τῆς βουλῆς τοῦ θεοῦ *Hebr.* 6, 17. immutabile consilii Dei est etiam τὸ ἀμετάθετον τῆς ὑποθέσεως, quæ μένει manet *Rom.* 9, 11. Syrus reddit לא משחלף דשוורי promissionem sive pollicitationem, quæ non mutatur. Continet autem propositum divinum ipsas promissiones divinas. Et hoc ipsum ἀμετάθετον τῆς βουλῆς est de benedictione per semen benedictum omnibus gentibus communicanda *v.* 14. de κληρονομίᾳ τῆς ἐπαγγελίας *v.* 17. quam proposito planè invariabili & perpetuo cum hominibus communicare voluit is, quo major non est, qui juramento incomparabili sese ad id obstrinxit *v.* 13.14.17. Itaque secundum consilium propositumq; suum tanquam normam æterno decreto constitutam apud se τὸ θέλημα voluntas Dei operatur. *Locus Hebr. 6, 17.*

Tertiò ergo concipienda divina ἐνέργεια. Dicitur enim Deus πάντα ἐνεργῶν κατὰ τὴν βουλὴν τοῦ θελήματος αὐτοῦ, omnia operans secundum consilium voluntatis suæ. A voluntate Dei per potentiam juxta consilium propositumque Dei promanat operatio. Hinc dicitur ἡ ἐνέργεια καὶ κράτος τῆς ἰσχύος τοῦ θεοῦ efficacitas roboris virium Dei *Eph.* 1, 19. quod κράτος divinæ efficaciæ dicitur etiam ὑπερβάλλον μέγεθος τῆς δυνάμεως τοῦ superexcedens magnitudo potentiæ Dei *v.* 19. & *c.* 3, 7. est ἐνέργεια τῆς δυνάμεως τοῦ efficacia potentiæ Dei, quæ dispensat gratiam annunciandi inter gentes imperveſtigabiles divitias Christi & illuminandi omnes ad communionem mysterij absconditi à seculo in Deo, qui omnia condidit per Jesum Christum, *v.* 9. 10. quæ etiam facta est κατὰ πρόθεσιν τῶν αἰώνων πεποιημένην ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ Κυρίῳ secundum propositum seculorum factum in Christo Jesu *§. 6.*

Domino v. 11. Eadem describitur *Phil.* 3, 11. quod sit efficaciæ Jesu Christi, qua potest omnia sibi subiicere. Est autem illa divina ἐνέργεια duplex, si modum exercendi in operibus divinis attendamus; Est enim ἐνέργεια ἐν μέτρῳ *Eph.* 4, 7. 16. quæ in certo ordine terminatur, quem spernens, negligens, evertens, non attingés, nõ attingit etiam divina ἐνέργεια ex illo ordine. Est etiam ἐνέργεια divina ἀπείρως καὶ nullo certo circumscripta ordine, in qua non tantum agit Dei ὑπερβάλλον μέγεθος τῆς δυνάμεως, sed & Deus agit secundum illius ὑπερβολὴ secundum omnem aut ampliorem intensionem potentiæ suæ, secundum quam si vellet agere, posset Deus hoc momento hominibus applicare meritum Christi, conferre palingenesiam & immortalitatis gloriam. Interim vnicuiq; proposito divino determinata est ἐνέργεια in tempore: nullum propositum omnino est ἀνενέργητον.

§. 7. *Omnis actio Dei in tempore circa creaturam rationalem ex proposito Dei fluit.*

Notamus II. *omnem actionem divinam in tempore circa creaturam rationalem ad propositum consiliumq; voluntatis divinæ pertinere & ex eo fluere, etiam productionem eius & collocationem in eum statum, in quo sub præceptorum norma ad certum finem, sc. beatitudinem sempiternam, gubernari debuerat.* Creatura rationalis duplex est, angeli & homines. Creaturæ angelicæ productio extra omne dubium ex consilio propositoque Dei fluxit. Imò & productio talis qua nempe universos angelos in eum statum collocavit, in quo per impressa & concreata præcepta ad beatitudinem sempiternam gubernari debuerant, ad propositum divinum referenda est. Nimirum proposuit Deus, angelis universis hunc statum & communicare & ἐνεργεία determinata continuare, in quo demum confirmarentur in ista bonitate jam accepta. Et quidem I. prosumitur illud propositum Dei *ex ipso facto.* Quia enim communicavit angelis statum perfectionis suæ per creationem, nemo dubitat, quin & ab æterno istam communicationem sibi proposuerit & eandem continuare decreverit, sic tamen, si in ordine propositi consisterent. Harmoniam namque esse inter communicationem in tempore & πρόθεσιν αἰώνων propositum æternitatis oportet. Et sapientiæ divinæ atque bonitati congruit, quam semel comunicavit perfectionem Deus, non ad brevissimi duntaxat temporis periodum velle comunicare, deinde ante-

antecedanei cujusdam concluſi rigore velle intercidere, ſed continuare & propagare, quantum in ſe eſt ex decreti modulo, qui definitionis liberrimæ eſt, nec in diſputationem vocari debet, quod non fuerit ulterior. Quod autem angelis in univerſum ſtatum perfectionis in principio communicaverit Deus, id fere inter Theologos certum eſſe videtur. Hugo de S. Victore quidem *lib. 1. de ſacram. part. 5. cap. 29. & in ſumma ſentent. tract. 2. cap. 2.* & Rupertus Tuitienſis Abbas *l. 1 in Geneſ. cap. 14. 15. & 16.* volunt, *Angelos non fuiſſe in juſtitia & ſanctitate apud Deum, ſed in pura natura, ut loquuntur, hoc eſt, nec juſtos, nec injuſtos, creatos.* Quamvis enim Rupertus dicat, *Angelos creatos fuiſſe innocentes*, hoc eſt, *ſine peccato*, addit tamen, *non ſtatim habuiſſe dilectionem Dei:* imò de malis aſſerit, *nunquam eam habuiſſe.* Quod verò docet eodem *lib. c. 11. & 17. Angelos in hoc mundo inferiori creatos, & poſtea gratia Dei in cœlum translatos*, non intelligit de gratia juſtificationis, ſed quia dono Dei gratuito ſedes illa cœleſtis illis conceſſa fuit; nam & malos antequam peccarunt, fuiſſe in cœlum translatos apertè docet, & tamen inquit, eos nunquam dilectionem Dei habuiſſe. Refertur in hanc etiam ſententiam Lombardus, qui *in 2. ſent. diſt. 5. c. 2.* diſertè ait; *angelos non fuiſſe creatos in converſione ad Deum, ſed in potentia tantum ut converti poſſent*, & *cap. 4. & 6.* affirmat, *datam illis fuiſſe gratiam cooperantem, ut ad Deum converterentur, quia perſtiterunt ſine peccato per liberum arbitrium, malis autem nunquam fuiſſe conceſſam, quia per peccatum ea carere meruerunt.* Aſſerunt autem ex ſcholaſticorum turba, Angelos non fuiſſe in ſanctitate & gratia creatos, Guil. Antiſiodorenſis *lib. 2. ſumm. tract. 1. cap. 1.* & Henricus Gandavenſ. *quodl. 4. q. 10. poſt med.* Tametſi enim dicat, *nihil hac de re certi haberi poſſe*, affirmat tamen, *hoc eſſe probabilius.* Cui conſentiunt Card. Bonaventura *in 2. ſent. diſt. 4. art. 1. q. 2.* Richardus de Mediavilla *art. 2. quæſt. 2.* Thomas de Arg. *q. 1. art. 2.* (ubi contra ſolennes, quos vocat, Doctores, aſſerentes, angelos in ſanctitate & juſtitia fuiſſe creatos, ſic diſputat: *Illud quod creato eſt concreatum, videtur eſſe naturale ipſi creato, igitur ſi angelis gratia fuiſſet concreata, ipſi angeli potuiſſent gratiam reputaſſe naturam. Præterea complacentia, qua creatura in gratia gratum faciente complacet ſibi ipſi, ex eo, quod eſt in gratia, eſt actus meritorius vitæ*

Qui docuerunt, angelos lapſos non fuiſſe creatos in ſanctitate.

æternæ. Nam sicut angelus vel quæcunque creatura demeretur, sibi ipsi nimis complacendo in naturalibus, sic meretur sibi complacendo in gratuitis: sed quicunque angelus vidisset se in pulchritudine gratiæ gratum facientis, necessariò sibi in hoc complacuisset. Igitur vitam æternam meruisset & per consequens nullus fuisset damnatus. Ad rationem autem, quâ ex eo, quod homo fuit creatus in gratia, concluditur, quia angelus non minoris dignitatis fuit, quam homo, etiam angelum ita debuisse creari, respondet, negando antecedens, & dicit, *sufficere debuisse angelo amorem Dei naturalem*) Bassolius *quæst.* 1. *art.* 3. Ægidius Romanus *quæst.* 1. *a.* 4. Marsilius Inguenius *in* 2. *q.* 4. *a.* 1. *concl.* 1. Etiam Scotus *in* 2. *dist.* 1. *q.* 1. §. ad inquirendum, in hanc opinationem inclinat. Alexander Alesius *in summ. part.* 2. *quæst.* 19. *membr* 2. post defensionem utriusque sententiæ probabilius denique judicat, angelos in sanctitate & justitia non fuisse creatos. Omnes verò citati scriptores, de angelis lapsis tanquam certissimũ pronuntiant, eos in gratia nunquam fuisse. Ita tamen Scripturarum testimoniis & antiquitatis consensu & rationum ab analogia fidei depromtarum evidentia tuetur se eorum sententia, qui angelos universos sanctos justosque creatos fuisse asseverant, ut contradicentium ratiocinationes parum æstimentur. Manifestum enim est angelos omnes in veritate fuisse, *Joh.* 8, 44. inq; ἀρχῇ καὶ οἰκητηρίῳ sanctioris cum Deo communionis *Iud.* 6. Egregiè Basilius M. in Psal. XXXII. v. 6. inquit: Ἀγγέλων μὲν εἰς τὸ εἶναι πάροδον ὁ δημιουργὸς τῶν ὅλων ὁ ποιητὴς λόγος παρείχετο, τὴν ἁγιασμὸν δὲ αὐτοῖς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον συνεπέφερεν. οὐ γὰρ νήπιοι κτισθέντες οἱ ἄγγελοι, εἶτα τελειωθέντες τῇ κατ' ὀλίγον μελέτῃ τῆς οὐσίας αὐτῶν συγκαταβληθεῖσαν ἔσχον τὴν ἁγιότητα, διὸ καὶ δισμετάθετοι εἰσι πρὸς κακίαν, εὐθὺς, οἱονεὶ βαφῇ τινι, τῷ ἁγιασμῷ στομωθέντες, καὶ τὸ μονιμὸν εἰς ἀρετὴν, τῇ δωρεᾷ τοῦ ἁγίου πνεύματος ἔχοντες. Cornarius ita reddit: *Angelorum ad essentiam processum, opifex universorum creator verbum produxit. Sanctificationem autem ipsis Spiritus S. contulit. Non enim infantes creati sunt angeli, deinde paulatim exercitio perfecti, sic ad spiritum suscipiendum digni facti sunt. Sed in prima compage & veluti massa substantiæ ipsorum, sanctitatis primordia simul facta habuerunt. Quapropter etiam ægrè ad malitiam transire possunt, statim sanctificatione veluti tinctura quadam corrobo-*

Qui statuerint, angelos omnes sanctos fuisse creatos. Basilius M.

roborati & stabilitatem ad virtutem ex dono sancti Spiritus habentes. Dionysius Alexandrinus *in Catena Nicetæ Heracleensis in Iobum, quam ex editione Patritij Iunij Londinensi habemus, p. 23.* ait, Diabolum in creatione accipisse ἀγγέλου ἐξουσίαν, conditum fuisse ἔχοντα αὐθαίρετον τὴν ζωὴν in sua potestate habentem vitam, καὶ ἐπ' αὐτῷ κειμένην τὴν ἐξουσίαν, ἢ παραμένειν τῷ θεῷ, ἢ ἀλλοτριωθῆναι τοῦ ἀγαθοῦ. Consentit Anastasius Nicænus *in quæst. & respons. S. Scripturæ, quæ extant Tom.* VI. *Bibl. S. quæst. 61.* qui in suam sententiam etiam allegat Theodoretum *lib. de cultu Dei.* qui & *in epitome decretorum divinorum lib.* IV. *cap. de Diabolo & dæmonibus* asserit; *Sicut hominem bonum ab initio fabricatus est Deus, libero autem mentis arbitrio hi quidem servarunt incorruptam & integram, quam acceperunt, naturam, illi verò in pejus declinarunt & divinos characteres corruperunt, & qui erant Deo similes, se ferinos reddiderunt; ita & Diabolos & dæmonum cætera, qui erant cum aliis incorporeis, illorum quidem in Dominum Deum benevolentiam non sunt imitati, insolentiæ autem & arrogantiæ morbo suscepto, ad id, quod est deterius, conversi sunt & à priori sorte exciderunt.* Johannes Damascenus O.F. *lib. 2. cap. 3.* ferè verba Basilij exhibet. Capite autem 4. inquit: Ἐκ τούτων τῶν ἀγγελικῶν δυνάμεων προτοστάτης τῆς περιγείου τάξεως καὶ τῆς γῆς τὴν φυλακὴν ἐγχειρισθεὶς παρὰ θεοῦ, οὐ φύσει πονηρὸς γεγονὸς, ἀλλ' ἀγαθὸς ὢν καὶ ἐπ' ἀγαθῷ γενόμενος, καὶ μηδόλως ἐν ἑαυτῷ παρὰ τοῦ δημιουργοῦ κακίας ἐχηκὼς ἴχνος, μὴ ἐνέγκας τόντε φωτισμὸν τήν τε τιμὴν, ἣν αὐτῷ ὁ δημιουργὸς ἐδωρήσατο, αὐτεξουσίῳ προαιρίσει ἐτράπη ἐκ τοῦ κατὰ φύσιν εἰς τὸ παρὰ φύσιν. Et post: Φῶς οὖν (νοητὸν) κτισθεὶς ὑπὸ τοῦ δημιουργοῦ. *Ex ijs angelicis virtutibus ea, quæ præerat terrestri ordini & cui à Deo terræ custodia commissa erat, non natura mala facta est, sed bona existens & à bono facta, & nullo pacto in seipsa à conditore malitiæ vestigium tenens, non ferens illuminationem & honorem, quem ipsi cōditor indulserat, libera voluntatis potestate demutata est ex eo statu, qui secundum naturam, in eum, qui contra & præter naturam est. Et post: Lumen igitur intellectuale ipsa creata est ab opifice.* In eandem sententiam è Latinæ Ecclesiæ Dd. concedit Hieronymus ad Os. 3. & Job. 4. Gregorius M. *lib. 32. Moral. cap. 18.* qui ait, *Diabolum inter angelorum corda charitatis igne succensa clarum gloria conditionis extitisse.* Prosper Aquitanicus *de vita contempl. lib.* I. *cap. 3.* Isidorus Hispalens. *d. summo bono l. 1. contr. sent. 7.* Anselmus Cantua-

tuarienſis *de caſu Diaboli cap.* 4.17.27. & qui omnes antecellit per perſpicuitate profeſſionis Auguſtinus *de civ. Dei lib.* XII. *c.* 9. Rationem verò ex collatione productionis primorum parentum & angelorum nullo modo ſubvertunt, qui negant, etiam primos parentes habuiſſe ex creatione ſanctitatem & juſtitiam: quibus ſi non faviſſe, ſaltem diſputandi libertatem reliquiſſe videtur Concil. Tridentinum ſeſſ. 5. decr. de peccato originali Can. 1. dum ait, *Adamum per peccatum juſtitiam & ſanctitatem amiſiſſe, in qua a Deo conſtitutus eſt.* Nam, ut excipit Vaſquez *Comm. in* I. 1 *hom. Tom.* I. *q.* 62. *diſp.* 217. *cap.* 3. *n.* 3. *conſtitutum eſſe*, non ſignificat conditum, ſed ordinatum eſſe, quare in concilio ſolum ut certum definitur, Adamum antequam peccaret, juſtitiam & ſanctitatem habuiſſe. Noſtro enim inſtituto ſatis eſt, Deum omnium conditorem Angelis lapſis, antequam laberentur, juſtitiam & ſanctitatem communicaſſe: ex hoc ipſo namque propoſitum continuandi præſumimus. Quanquam fortius evincitur, ſi illam juſtitiam & ſanctitatem concreatam atque connaturalem fuiſſe dicamus.

§. 8. *Angelorũ etiam deſertorum creatio in ſanctitate & juſtitia probatur ex Ioh.* 8, 44.

II. Probatur *ſacrarum literarum ſuffragio, imò judicio.* Primum eſt è *Johann.* IIX, 44. Διάβολος ἐν τῇ ἀληθείᾳ οὐκ ἔστηκεν. Notamus autem 1. quod per Diabolum intelligatur tota caterva malignantium ſpirituum in multas ſparſa legiones. Vocatur autem ita cum reſpectu ad primam illam & abominabilem calumniam erga genus humanum virulenter effuſam, qua ita cavillari veritatem divinam & calumniari per unum ex exercitu ſuo principem in paradiſo aggreſſi ſunt, ut inde mors ſpiritualis inprimis & conſequenter corporalis illata fuerit univerſo generi noſtro. Vnde & ἀνθρωποκτόνος vocatur. 2 per ἀλήθειαν *veritatem* non eam tantum intelligi, circa quam immediatè in paradiſo mentitus & cavillatus eſt. Partim enim haud quaquam commodè dici poteſt, eum in iſta veritate non ſtetiſſe. Neque etiam obligabatur unquam, ut iſti veritati inſiſteret & adhæreret, circa quam cum Adamo doloſè vaferrimèque diſputavit. Partim etiam longè altius malitiæ diabolicæ profunditatem repetere voluiſſe Chriſtum, ex colloquii circumſtantiis patet. Vnde & addit, non eſſe veritatem in illo. Hoc verò ipſo ſignificat Chri-

Christus, in diabolo non esse illam perfectam & sacrosanctam veritatem, quæ ubi intellectui creaturæ rationalis impressa est & affulget, omnes eius actiones ad summam veritatem dirigit. Arguit igitur eum, quod nec in se veritatem habeat, quam in sese habere decet creaturam rationalem, quæ in ea conditione est, quam à conditore habet, quæ proximum lumen est à summo lumine, & proximam summæ veritati veritatem habere debet: nec à se diffundat veritatem, cui jam post eam amissam infensissimus hostis est factus & cuius oppositum mendacium perenni libidine fovet & propagat. Ἀλήθεια apud Johannem amplissimè non semel sumitur & ipsam etiam intellectualem perfectionem creaturæ rationalis, hoc est, sapientiam notitiamque, sive lumen cognoscendi & voluntatis auxilia, justitiam sanctitatemque denotat. Sanè Cap. 1, 17. ἀλήθεια, quæ per Christum Jesum ἐγένετο, non constat nudis revelationibus, sed includit omnem perfectionem rationalem, quæ ex officio Jesu Christi promanavit. Et Cap. 3, 21. ποιεῖν τ ἀλήθειαν non spectat ad justitiam cum exclusione cæterorum ornamentorum, ex quibus actiones nostræ condecorantur, sed denotat, agere ex concursu sapientiæ intellectum illuminantis & justitiæ voluntatem gubernantis. Sic Cap. 8, 32. ἀλήθεια non est duntaxat veritas revelata verbo Dei comprehensa, sed & Deum Patrem & inprimis Jesum Christum includit, eiusque officium sacerdotale, adeòque omne id, ex quo rationalis perfectio in spiritualibus proficiscitur. Vnde & Christus dicitur ἀλήθεια, Joh. 14, 6. & Spiritus S. πνεῦμα τῆς ἀληθείας, Joh. 14, 17. & c. 16, 13. & c. 15, 26. & ἀλήθεια regni Christi præcipuum est obiectum, c. 18, 37. Pertinet huc etiam appellatio, qua Christus dicitur τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν lux vera, hoc est, summæ perfectionis. Conf. 1. Joh. 2, 8. & quod dicitur ἀληθινὸς θεὸς, non nuncupativus, factitius & finitus Deus, sed qui habet summam infinitamque Deitatis perfectionem, φύσει θεὸς. 1. Joh. 5, 20. Apoc. 3, 7. 14. c. 19, 11. quod dicitur ὁ ἀμήν ὁ μάρτυς ὁ ἀληθινὸς, Joh. 15, 1. Ἀλήθεια ergo hæc est perfectio spiritualis, qua posita à diabolo fluxissent, quæ ex ordinatione Dei ad conservationem humani generis in esse suo spirituali paradisiaco fuissent perficienda, quam si intra se adhuc haberet, non esset pater omnis impuri-

tatis

tatis & fons mendacij, non ſcateret fœdiſſimis illis & abominabilibus concupiſcentiis, in quibus ſeſe horribiliter volutat & alios contaminat, qua poſita cum præcipua quadam & incomparabili voluptate multivariam ſapientiam Dei in Chriſto complecteretur, diſceret, admiraretur. Jam cum illam non amplius habet, eſt deſtructor, quantum in ſe eſt, generis humani, eſt pater impuritatis & fons mendaciorum, ſcatet fœdis & abominabilibus concupiſcentiis, abhorret à Chriſto & eius myſteriis. Cogitari poteſt, Chriſtum ad angelos adhuc ſtantes reſpicere & illorum veritatem huius falſitati & impuritati opponere, qui hominum generi liturgiam ſanctam præſtant, abhorrent ab omnibus impuritatibus, πολυποικίλῳ ſapientiam Dei admirantur. Notamus III. illud οὐκ ἔστηκε negationem continuationis & perſeverantiæ in veritatis ſtatu deſignare. Non enim dicit Chriſtus: veritati repugnavit & malitiosè reſtitit. Neq; etiam dicit, *in veritate non fuit*, ſed *in veritate non ſtetit*. Simplicia verba more Hebræorum in aliis etiam linguis pro compoſitis ponuntur. Sic *ſtare* pro *perſiſtere, ſubſiſtere*. *Joſ.* 7, 12. *Pſ.* 1, 5. *Luc.* 21, 36. 2. *Tim.* 2, 19. *Eph.* 6, 11. 13. 14. *Iudæ* 24. 1. *Cor.* 15, 1. *Col.* 4, 12. Arabs, notante Ludov. de Dieu h. l. p. 451. transfert, ut appareat, eum hunc ſenſum collegiſſe, Diabolum ſui ſemper eſſe ſimilem, homicidam fuiſſe ab initio, ab eo tempore eum in veritate non ſtare, quia ex quo defecit, nulla eſt in eo veritas. Etiam Syrus verbo præſenti ἕστηκε repræſentat. Non opus eſt. Nam quod ſequitur, ὅτι οὐκ ἔστιν ἀλήθεια ἐν αὐτῷ, non oſtendit cauſam, cur in veritate non ſteterit, ſed conſecutionem, ex qua rectè colligit Dominus à conſequenti, illum à ſua origine defeciſſe. Simile exemplum locutionis eſt Luc. 7, 47. Sic Conr. Pelicanus h. l. Ille per ſuam ſuperbiam excidit à veritate. Henr. Bullinger h. l. *Bonus quidem conditus erat diabolus à Deo, cuius opera omnia bona ſunt, collocarat ipſum in veritate, à qua nunquam excidere potuiſſet, niſi in ipſa ſtetiſſet aliquando. Requirebatur ab ipſo à Deo juſtiſſimo veritas, fides ſive fidelitas, gratitudo, officium & agnitio Dei creatoris, qui vires perſeverandi, ſi voluiſſet, contulerat. Nam ſtare potuiſſet ſi voluiſſet: atqui ſua culpa & ſuo vitio in veritate non ſtetit, in ea inquam puritate, in qua conditus erat: infidelitate enim excidit, id eſt, fidem non præſtitit. Cauſa, quia non*

eſt

est veritas in eo. non quod sic esset creatus, sed quod post perfidiam sua culpa suoq; vitio talis esset effectus. Fuerat sanè lux & spiritus purissimus Dei conditione, sua autem spontanea malitia factus est tenebræ & spiritus immundissimus. R. Gualtherus hom. 79. in Joh. p. 173. *Hinc colligitur, Diabolum aliquando in veritate fuisse. Excidit autem pro sua statione, in quam Deus illum constituerat.* Et post: *Constat propria malitia lapsos esse & è sua gloria decidisse angelos, quos Deus initio bonos creaverat.* Wolfg. Musculus Comm. h. l. p. 543. *Videndum,* inquit, *est, an plura sint genera veritatis, & quomodo lapsus fiat ex veritate. Principio certum est, Deum illum, quem Scriptura vocat* יהוה, *id est, existentem, summam, æternam & primam omnium esse veritatem, ita, ut quæcunque reliqua respectu illius, sint vanitas. Esse & veritas à se invicem disjungi non possunt; non potest ostendi essentia sine veritate. Deinde ut fons est essentiæ, ita est & veritatis. Tertiò omnis illius voluntas, quodcunque illius verbum ipsissima veritas est. Præterea secundaria veritas est in creaturis Dei, veritas angeli, boni spiritus ac Deo subditi. estq; hoc ipsum, quod creatus & ut esset factus est, nempe ut esset spiritus bonus Deo per omnia subiectus. In hanc veritatem constitutus fuit Diabolus beneficio creationis: sed suggestione superbiæ victus ac prostratus, in veritate hac non stetit, è bono spiritu Deoq; subiecto secundum naturam, factus est superbus, malus & adversarius.* Consentit Marloratus *in expos. Cathol. h. l.* Calvinus *h. l. & in Instit. lib. 2. cap. 14. §. 16.* Zach. Vrsin. *explic. Catech. part. 1. pag. 52.* Guil. Bucanus *Loc. 7. q. 3. p. 75.* Anton. Walæus *in Enchirid. Operum fol. 9. & in Loc. Comm. Operum fol. 194.* Hieronym. Zanchius *de oper. sex dier. lib. 2. cap. 6. pag. 98.* Diodati h. l. ad voc. *verità* annotat: *Così intende, quella prima integrità, è dirittura, nella quale furono creati tutti gli angeli.*

§. 9. *Vasquez contra locum Ioh. 8. 44. exceptiones refutantur.*

Refellendus igitur nobis est Gabr. Vasquez Jesuita, qui *Tom. 2. in 1. partem Thomæ q. 62. disp. 217. cap. 3.* ita de hoc loco disputat: *Afferunt nonnulli testimonium illud Ioh. 8.* ille *sc. diabolus* in veritate non stetit; *h. e. in gratia & sanctitate apud Deum, quæ à Patribus vocari solet veritas, non perseveravit: stare enim significat permanere: quod verò permanet in aliquo statu, in eo prius fuisse intelligitur: perinde igitur est, angelum non stetisse in veritate, atque in sanctitate, in qua conditus est, non perseverasse aut permansisse. Nomine autem veri-*

ratis eo loco intelligunt rectitudinem vitæ Chrysost. hom. 53. in Iohann. & Euthymius in illa verba: ut diabolus dicatur non stetisse in veritate, quia non perseveravit aut non quievit in vitæ rectitudine. Quo sensu ex prædicto testimonio non leve desumi potest argumentum. Verum quia cæteri Patres variè intelligunt verba citata, mea quidem sententia parum ex illis probari potest. Cyprianus lib. de Orat. Domin. in principio explicat hoc modo, In fidelitate non stetit. *Augustinus verò lib. contra Adimantum c. 4.* veritatem *usurpat* pro lege angelis data, *ut sensus sit, in lege sibi data non stetit: quod sanè contingere potuisset, etiamsi non in gratia Dei sed in pura natura Angelus creatus legem observandam accepisset & eam non observasset. Demum non pauciores, nec minus graves Patres nomine veritatis intelligunt veracitatem, quam vocant Scholastici veritatem in dicendo. Ita explicat* Irenæus *lib. 4. contra hæreses cap. 22.* Chrysostomus *Tom. 1. homilia de lapsu hominis primi, parum à principio,* Epiphanius *hæresi 38. eosq; sequitur* Theophylactus *in illum locum Iob. Quorum sanè interpretatio, quod contextui Evangelistæ maximè congruat, mihi summopere probatur. Nam Christus eo loco suggillare voluit Iudæos, quod mendaces essent & homicidæ: ideòq; dixit illis, vos ex Patre Diabolo estis & desideria Patris vestri vultis facere, quæ verò essent hæc desideria, & in quo vellent patrem suum diabolum imitari, subinde explicavit his verbis; ille homicida erat ab initio & in veritate non stetit, & non est veritas in eo: cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est & pater eius (sc. mendacij.) Appellavit igitur Christus diabolum mendacem, imo patrem mendacij, quia primum mendacium, quod scimus in mundo dictum fuisse, à diabolo inventum & dictum fuit, cum dixit parentibus nostris in paradiso, nequaquam morte moriemini &c. Ecce primum & insigne mendacium. Rectè igitur intulit Iohannes, cum Diabolus mentitur, non usurpare peccatum ab aliis inventum, sed ex propriis loqui, hoc est, mendacium, quod ipse primus confinxit & introduxit in mundum, assumere. Cum igitur Iudæi planè mentirentur, ut constat ex eo capite, cum simularent animum non occidendi Christum, secretò autem mortem illi machinarentur, rectè dixit, vos ex Patre diabolo estis, tum quod in mendacio illum imitarentur, qui fuit autor mendacij, tum præcipuè in animo occidendi ipsum Christum, quia diabolus ab initio mundi homicida fuit, sollicitè necem hominum quærens, suadensque Caino primum homicidium Abelis fratris sui, rectè*

igitur

igitur Patres allegati per veritatem apud Iohannem intelligunt veracitatem. Porrò autem verbum STETIT *non denotat semper in scripturis perseverantiam. Nam illud Ps.* 1. in via peccatorum non stetit, *nonnulli per* πλειλογίαν *aut* αὐτολογίαν *accipiunt pro eodem, quod in eodem versu dicitur, non abijt* in consilio impiorum, *ac si diceretur, non fuit in consilio impiorum, nec in una via peccatorum. Clarius multo* STARE *usurpatur pro* ESSE, *sicut apud Paulum* 2. Cor. 3. in ore duorum aut trium stabit omne verbum, *h. e. erit. Capitur etiam in scriptura* STARE *pro eo quod est* consistere & firmum esse, *quod idem est atque non cadere, ut ad* Rom. 14. Domino suo stat, aut cadit. *Dicitur igitur diabolus in veritate non stetisse, non quia prius in ea fuerit & deinde in ea non manserit, nec perseveraverit, sed quia per mendacium cecidit, etiamsi per superbiam cecidisset. Quod si veritas in eo loco capiatur pro veracitate, verbum stetit non potest denotare perseverantiam in antiquo statu & opere; nam dæmona antequam verba illa diceret patribus nostris, nec mendacium, nec verum aliquod dixerat, in quo deberet perseverare: tum igitur, cum primum mentitus est parentibus nostris, dicitur in veritate non stetisse, hoc est, mendacio cecidisse.*

§. 10. *Cyprianus vindicatur.*

Nihil enim Vasquez adfert, quod antiquitatis conclusionibus ex illo factis deroget. Cyprianus *serm. 6. de orat. dominica,* non habet *fidelitatem* pro *veritate.* Constanter legitur, *in veritate non stetit,* in antiqua Erasmi Basileensi editione, & in Antverpiana A. 1542. & in Antverpiana Pamelij, qui & in annotationibus nihil observavit, quod aliter haberent Mſc. Sed & si pro veritate fidelitatem accipisset Cyprianus, nobis haudquaquam adversaretur. Illa enim summa & maxima conjunctio, qua sibi subordinaverat Deus angelos & obligaverat ad perpetuum obsequium, ad quod instructi erant donis præcellentibus, fidelitas est angelica. Estque præcipua quædam sive pars, sive soboles veritatis. Certè sine illa, quam intelligimus, veritate esse non potest. Sanè qui creati sunt in fidelitate, illi non sunt creati in puris, ut vocant, naturalibus, nec nudas quasi intellectus & voluntatis habuerunt potentias, sed & proportionata obiecto, cui fidelitate erant devincti & paria statui concreata habēt auxilia. Ita verò angeli sunt creati, non diffitente Vasquezio. Augustinus autem *lib. contra Adimantum c.* 4. non dicit, quod eum dicere *Et Augustinus.*

Jesuita asserit. *Duobus*, inquit, *modis peccatores infideles Iudæi filij diaboli vocantur à Domino, vel quod ab ipso impietatem didicerunt, vel quod ipsum imitantur, quod magis pertinet ad id, quod de illo dictum est*, Et in veritate non stetit: *quia & ipsi Iudæi in veritate legis, quæ sibi data est, non steterunt.* Hic sanè non loquitur Augustinus de lege aliqua Angelis data. Neque sequitur; Judæi imitati sunt Diabolos in eo, quod à lege sibi per Mosen data desciverunt, sicut Angeli à veritate desciverunt; E. veritas, à qua Diaboli desciverunt, fuit lex Angelis data. Potest enim etiam inter veritatem concreatam, quæ in iustitia & sanctitate consistit, & inter legem Mosaicam comparatio institui. Imo lex Mosaica est quasi typus sanctitatis & justitiæ concreatæ. Si verò per legem Angelis datam intelligas, ipsum concreatum dictamen justitiæ & sanctitatis, potest autem illa ita appellari, jam Augustinus hoc in illo loco intellexit, quod nos ex illo deducimus. Sanè non opus est divinare, quid Augustinus senserit, clarè enim ille ad hunc locum *tract.* 42. *in Iohann.* infert: *In veritate non stetit. Ergo in veritate fuit, sed non stando cecidit.* Et *lib.* XI. *de Civitate Dei ad Marcellinum cap.* 13. asserit, licet non tantam beatitudinem, antequam laberentur, habuerint angeli desertores, habuisse tamen aliquam profectò credendum esse. Illam autem explicationem, quam Vasquez huic loco adhiberi posse censet, tanquam peregrinam recitat. Et *cap.* 15. post aliquot dicta Scripturæ prolata, ex quibus evidenter putat posse probari, angelos desertores in primo momento creationis non fuisse lapsos, addit: *Quæ si aliter convenienter intelligi nequeunt, oportet etiam illud, quod dictum est, in veritate non stetit, sic accipiamus, quod in veritate fuerit, sed non permanserit.* Irenæus non 22. *sed* 19. & 20. capp. tractat hunc locum, & mentiendi libidinem in Diabolo à Christo notari indicat, sed non propterea existimat, per veritatem duntaxat veracitatem à Christo designari. Neq; enim opus est, ut persuaderi nobis patiamur, Irenæum, quia h. l. ad prolapsum à veritate ad mendacij amorem in Diabolo probandum accomodat, statuisse, veritatem, in qua Diabolus non stetit, nihil amplius fuisse, quam veracitatem. Imò validius concludit, si veritas ita, ut interpretati sumus, accipiatur: Qui enim turpi apostasia intellectum

Et Irenæus.

volun-

voluntatemque à Deo avellit, cui per veritatem ſapientiæ juſtitiæq; antea conjunctus fuit, is ut alia vitia quam fœdiſſima contraxit, ita mentiendi libidinem ſine dubio attraxit. Verba Irenæi ſunt. *Deus quidem verax, ſerpens autem mendax oſtenſus eſt & homicida, ſicut Dominus ait de eo*, quoniam ab initio homicida eſt & in veritate non ſtetit. *Sicut ergò in principio mentitus eſt, ita & in fine mentiebatur* &c. Chryſoſtomus *hom. 1. de lapſu primi hominis* non indicat, ſe exponere hunc locum. Ita enim ait: *Callidus ſerpentina cogitatione Diabolus in ſpecie ſerpentis aſſumens mendacium, quia ſemper & ab initio mendax fuit, ad fragilem ſexum, rudem & incautum, dicens ei*; &c. Demus verò, eum ad hunc locum reſpexiſſe, non tamen probabitur, eum per veritatem duntaxat veracitatem intellexiſſe. Qui per veritatem omnem perfectionem rationalem primo ſtatui proportionatam intelligit, ea amiſsâ proclivitaté in mentiendo facile in eo, qui amiſit, colligere poteſt. Inde idem Chryſoſt. *hom. 53. in Ioh.* ubi ex profeſſo *h. l.* exponit: ἐν τῇ ἀληθείᾳ οὐχ ἕστηκε, τυτέστιν, ἐν τῷ ὀρθῷ βίῳ: intelligens univerſam vitæ rectitudinem, in quam collocatus erat à Deo diabolus. Epiphanius *hæreſi* 38. quæ eſt Cajanorum aliud ſubjectum ſubſtituit; non intelligit infernales angelos & aliquem ex iſtis principem, ſed proditorem Judam. *Ipſe*, inquit, *Dominus ſtatim dixit, in omnibus noſtris curam habens, ut ne à propoſito digrediamur, alia pro aliis excogitantes ac commiſcentes, patrem ipſorum eſſe diabolum, ad diſcipulos loquens*: nonne duodecim vos elegi? & unus ex vobis diabolus eſt. *Non diabolus dicens natura ſed mente. Rurſus autem in alio loco dicit*: Pater Domine cœli & terræ, ſerva hos, quos dediſti mihi: quando eram cum ipſis, ſervavi ipſos & nullus ex ipſis perijt, niſi filius perditionis. *Rurſus alibi dicit*: Oportet filium hominis tradi, juxta id, quod ſcriptum eſt de ipſo: væ autem per quem tradetur: expediret enim ipſi, ſi nunquam natus eſſet. *Proinde omnino novimus, quod de Iuda locutus eſt ad Iudæos. Nam à quo quis ſuperatus eſt, ab eo etiam in ſervitutem redactus eſt. Et cui quis credit, hunc patrem habet ac principem & ducem ſuæ perſuaſionis. Dicit igitur Dominus*; Vos filij patris veſtris Diaboli eſtis. *Nam pro Chriſto Iudæ crediderunt, quemadmodum ab initio Eva declinans ſerpenti credidit. Deinde quod non ſolum mendax erat, ſed etiam fur, juxta id,*

Et Chryſoſtomus.

Et Epiphanius.

quod in Evangelio dictum est: quapropter etiam ipsi tradidit marsupium, *ut inexcusabilis esset, qui propter avaritiam proprium Dominum tradidit in manus hominum. Quis igitur huius pater, qui ante ipsum mendax erat, quam Cain, cuius imitator est* &c. Eandem explicationem Epiphanius copiosè repetit *hæresi* 40. *contra Archonticos*. Consistere autem explicatio illa propterea nequit, quia Judas eo tempore sese nondum ducem & parentem consilij interfectionis præbuerat: quia Diabolus dicitur homicida ab initio simpliciter, Judas autem tum homicidio aut proditioni nondum se commodaverat &c. Apud Theophylactum etiam non opus esse putamus, ut licet à veritate ad mendacium descendat, per veritatem præcisè veracitatem intelligamus. Status enim ille perfectionis, in quo creatum dicimus diabolum, & mendacio & cuivis alij vitio opponitur. Sic & huic Judæorum pravitati Christus interprete Theophylacto v. 40. opponit veritatem suam, quod æqualis sit Patri.

Et Theophylactus.

§. 11. Ad rationes Vasquezij plana jam ex dictis est responsio. Prima ita se habet: *quod in Iudæis defuit, in eo Satanas non stetit. Atqui non veritas illa primigeniæ sanctitatis, sed veritas in dicendo, quam vocant, in Iudæis defuit, & velut deficiens à Christo reprehenditur.* Fatemur autem, in eo etiam Satanam non stetisse, quod Judæis defuit. Sed in eo solo Satanam dici non stetisse, cum non stetisse in veritate dicitur, cuius defectus in Judæis arguitur, id ut concedamus necesse non est. Nimirum Christus abyssum malitiæ in Diabolo indicat, cum dicit ipsum in veritate non stetisse. Unde mirandum non sit, libidinem mentiendi Judæos ex scelerata cum Diabolo communione hausisse. Ad primum autem illud mendacium, quo hominibus imposuit, referre illa verba Salvatoris, quibus dixit, Diabolum in veritate non stetisse, non est necessarium. Licet enim verba illa ἀπ' ἀρχῆς fortassis haud incommodè ἀπὸ κοινοῦ ad sequentia etiam extendi possint, magis tamen ad ἀνθρωποκτόνος, cui subiunguntur, pertinent. Sed etsi extenduntur, non ad momentum illud, quo insusurrato primis parentibus mendacio hominum generi mors illata est, solummodò restringi poterunt. Notant enim interdum cum aliqua latitudine id, quod in primordiis huius mundi fuit. Matth. 19, 4.

Esset

Eſſet ergo ἀνάζιος in verbis Chriſti: Diabolus homicida fuit ab initio; imò altius adſcendendo, non aliis duntaxat obfuit, ſed & ſibi, quando veritates cœleſtis ſapientiæ concreatas deſtruxit & ſtatum felicitatis perdidit. Et illa valde accommodata eſt ad atrocitatem peccati Judæorum detegendam. Altera ratio à particulari concludit. Ordinaria & uſitata ſignificatio verbi ſtare perſeverantiam habet. Eam huic loco & ſcopo Chriſti accommodatiſſimam eſſe, ſupra indicavimus. Judæis Chriſtus non ſolum mentiendi calumniandiq; libidinem, ſed & apoſtaſiam à ſancta cum Abrahamo neceſſitudine obiicit. Vtriusque in Diabolo veſtigia eos ſecutos, qui & mendax & latro & apoſtata ſit. Sed & teſtimonia Vaſquez nobis non adverſantur. Vniverſa etiam perſeverantiam deſignant.

§. 12. *Zanchij ſententia de loco Ioh. 8, 44.*

Vaſquezio in huius dicti explicatione aliquatenus ſuccedaneus eſt Hier. Zanchius *de Oper. VI. dierum lib. 4. cap. 2. n. 3.* vbi per veritatem non ſanctitatem concreatam, ſed reuelatam intelligit. *Refero*, inquit, *hic quandam ſententiam, quæ mihi probabilis admodum videtur & conſentiens cum omnibus illis locis, qui adferri ſolent de peccato angelorum; præſertim cum illo Chriſti loco Joh. 8. Et quæ tum illorum ſuperbiam ac rebellionem, tum invidiam complectitur. Ea hæc eſt: Dubium non eſt, quin quod poſtea toti mundo patefactum eſt de Chriſto myſterium, illud decreverit & ſtabiliverit Deus ſuo æterno conſilio, ac proinde quin illud veritas fuerit æterna atque certiſſima & immutabilis. Eſt autem hæc hujuſce veritatis ſumma, nempe Filium debuiſſe non angelos aſſumere, ſed ſemen Abrahæ & factum hominem fieri caput, qua etiam homo eſt, omnium quoque angelorum, totamq; hanc naturam ſupra omnes angelos exaltandam fuiſſe; & neminem tam angelorum quam hominum futurũ beatum, niſi per gratiam Chriſti & propter Chriſtum, ita ut omnia bona à Chriſto eſſent expectanda. Hæc eſt ſumma eaque ex ſacris literis hauſta. Eſt verò probabile & conſentaneum veritati, quanquam non totum myſterium Chriſti, ſummam tamen hanc veritatem fuiſſe de principio ipſis angelis propoſitam ac revelatam. Adde tam & compone ſyllogiſmum: Quæcunque nunc & ab initio mundi deteſtantur & damnant & perſequuntur tam per tyrannos quam per hæreticos mali angeli, eadem rejecta & damnata fuiſſe ab iisdem, jam inde ab initio, h. e. ſimul ac patefacta illis fuerunt, credendum eſt: Ac de quibus*

bella

bella nunc ſunt inter malos & bonos angelos, de iiſdem fuiſſe inter eoſdem ab initio non diſſimiles pugnas, vero ſimile valdeq; probabile eſt. Atqui conſtat ab exordio mundi in finem uſque ejuſdem Satanam & omnes ejus angelos hoc ſemper odiſſe, & ut etiam, ne à nobis credatur, curaſſe & curare, nempe hanc humanam carnem à Filio Dei aſſumtam fuiſſe in unitatem perſonæ, ita ut idem ſit homo & Deus, eoq; Jeſum Chriſtum ſua natura majorem eſſe angelis & æqualem Patri, cum purus ſit (ut conantur perſuadere) homo. Ac ſi qui perſuaſi fuerunt, Chriſtum verum eſſe filium Dei Deum, conati ſunt ſemper diaboli perſuadere, eum non eſſe verum hominem, ac proinde verum Immanuelem, nec eſſe eò honoris evectum, ut ſupra angelos ſedeat. Item hoc quoque mendacium eſſe contendunt, neminem ne angelos quidem beatos eſſe poſſe ſine hoc Chriſto: imò quemq; poſſe ſuis viribus ſuisq; operibus, modo velit, vitam aſſequi æternam. Quis neſciat, hanc veritatis ſummam ſemper fuiſſe in odio ipſi Satanæ & Angelis ejus? Quis ignoret propter hanc veritatem ſemper pugnatum fuiſſe & adhuc pugnari inter electos, membra Chriſti, & reprobos, membra Satanæ? Quidni igitur dicamus & affirmemus, jam inde ab initio mundi angelos reprobos hanc ſemper odiſſe veritatem & in illa acquieſcere noluiſſe, quamquam fuerit illis à Deo propoſita, tanquam ad ſalutem cujuſq; neceſſaria. Vt vero Zanchius theſin ſuam confirmet, addit: *Theſis hæc duabus rationibus confirmatur; Primùm quidem à perpetuo ſtudio, quo Diabolus jam inde ab initio mundi conatus eſt ſuis de Chriſto mendaciis, h. e. hæreſibus, aut contra ejus Deitatem, aut contra ejus humanitatem, aut contra ejuſdem officium ſparſis, hanc Evangelij veritatem è mundo penitus tollere. In hoc enim ſemper incubuit & incumbit Satan à condito orbe, tanquam Chriſti & ſalutis dignitatisque noſtræ perpetuus hoſtis. Eſt igitur manifeſtum, à condito orbe hanc Evangelij veritatem illi quidem perſpectam, non tamen gratam, ſed in ſummo fuiſſe odio. Niſi enim perſpectam habuiſſet, quomodo potuiſſet eam oppugnare? Ac ſi non odiſſet, quomodo voluiſſet perſequi? Quare verisimile & valde probabile eſt, hoc fuiſſe primum Angeli peccatum, quod in veritate hac ſibi à Deo propoſita & probè à ſe intellecta, perſiſtere, nempe conſenſione & voluntate, h. e. acquieſcere noluit ipſe & ſuis porrò ſemper mendacijs conatus eſt alios quoque ſeducere, & ne huic veritati aſſentirentur, perſuadere. Altera ratio ducta fuit ab antitheſi, qua uſus eſt Dn. Ieſus Ioh. 8. inter veritatem, in qua non perſtitit Diabolus, & inter mendacium. Men-*

dacium

dacium igitur, quod loquitur Satan, opponitur veritati, in qua non ſtetit. Atqui præcipuum mendacium, quod Satan jam inde à condito orbe locutus eſt, ſparſit & ſpargit, ſunt hæreſes cum Evangelij doctrina pugnantes. Veritas igitur, in qua dicitur non perſtitiſſe, ſed quam potius ſemper oppugnavit, eſt veritas Evangelij de Chriſto Deo & homine, veroq; & unico mundi Servatore, deq; eius gratia omnibus etiam Angelis ad firmam beatitudinem neceſſaria. Confirmatur hæc ratio à qualitate peccati, de quo Chriſtus accuſavit Iudæos Ioh. 8. & cuius cauſa dixit Diabolum eſſe ipſorum Patrem, æosq; velle imitari opera Patris ſui. Hoc illorum peccatum fuit, non ſolum, quod vellent occidere innocentem hominem, nempe Ieſum, ſed quod inprimis non vellent acquieſcere veritati, quam ipſe prædicabat. Hoc enim peccatum cauſa etiam fuit alterius peccati, nempe quo cogitabant Chriſtum occidere. Hinc ſatis apertè colligitur, peccatum Diaboli hoc fuiſſe, cum dicitur non perſtitiſſe in veritate, *nempe quod veritatem Evangelij à ſe intellectam & cognitam amplecti noluit, ſed odit, ac ſciens & volens ſuis mendacijs evertere eam conatus eſt ſemper. Confirmo hanc eandem theſin à cauſa, cur reſipiſcere amplius non poſſit Satan, nec ſervari. Quidam cauſam hanc ducunt à natura Angeli; ſed ego præcipuam eam eſſe judico, quam de alijs quoque reprobis tradit Ap. ad Hebr. 6.* peccatum ſc. in Spiritum S. *quod eſt cum quis veritatem Evangelij à ſe cognitam ſciens ac volens improbat & damnat ex animo. Hoc enim peccatum ſecum fert impœnitentiam. Cum igitur in confeſſo ſit, Diabolum non poſſe reſipiſcere, nec poſſe ſervari amplius, quid aliud inde colligere licet, niſi eum tale peccatum admiſiſſe, quale deſcribitur ab Apoſtolo, ac proinde hoc fuiſſe illius peccatum, quod in veritate Evangelij acquieſcere noluerit.* hæc Zanchius.

§. 13. Hauſtus eſt verò iſte Zanchij diſcurſus, quem ſequitur Bucanus L. C. l. 7. q. 4. ex ſcholaſticorum lacunis, qui cenſuerunt, Angelum apoſtatam peccaſſe appetitu unionis hypoſtaticæ, quo deſideravit ſuam naturam perſonæ divinæ uniri, ſimulque invidia unionis humanæ naturæ cum verbo deliquiſſe. Tradit hanc ſententiam Ambr. Catherinus *in opuſc. de gloria bonorum angelorum & lapſu malorum, & in illud Gen. 3. Serpens callidior erat* &c. Aſſerit etiam Jacobus de Valentia *in Pſ. 82.* Joh. Vigneriꝰ Granatenſis *in Inſt. Theol. cap 3. § 2. verſic. 15.* Jacobus Naclantus *Com. in Epiſt. ad Eph.* Quod ex invidia unionis hypoſtaticæ humanæ naturæ cum

Scholaſt corum ſententia de obiecto lapſus angelorum malorum.

ræ cum verbo Satanas lapsus, censet etiam Alexander Ales. *part. 3. Summæ, quæst. 2. membr. 13.* & Dionysius Carthus. *in 2. sent. dist. 5. q. 1.* Guil. Parisiensis *lib. de Vniverso 1. 2. à c. 106. usq; ad cap. 110.* Qui quidem Bernardum Claræval. sibi Patronum adducere solent *è serm. 17. in Cantic.* faciunt autem illi injuriam, quia nihil de unione hypostatica ibi memorat. Ita per conjecturam magis, quam per sententiam loquitur. *Putas ne lucifer, qui mane oriebatur, sed præproperè elevabatur, antequam verteretur in tenebras, generi nostro inviderit? & ipse olei effusionem ut per seipsum jam tunc indignabundus mussitaret, dicens intra se quodammodo, ut quid perditio hæc? Hoc ego non assero dicere spiritum, sed nec contradicere dico. Nescio enim. Potuit autem contingere, si tamen incredibile non putetur, plenum sapientia & perfectum decore homines præscire potuisse futuros & profecturos in pari gloria. Sed si præscivit, in Dei verbo absque dubio vidit & in livore suo invidit & molitus est habere subiectos, socios dedignatus. Infirmiores, inquit, sunt inferioresq; natura: non decet esse concives, nec æquales in gloria.*

§. 14. *Zanchius refutatur.*

Cæterum Zanchij illa opinio nullo se fundamento tuetur. Non enim probat, tum, cum laberentur è perfectione sua, angelis notam fuisse illam summam & ineffabilem veritatem de Filio Dei incarnando & angelorũ hominumq; salutem operaturo. Illud vix negabit Zanchius, quod communis habet opinio, Angelos lapsos esse ante conditum genus humanum. Saltem ante lapsum, ad quem induxerunt genus humanum apostatæ jam facti angeli. Id etiam passim jam receptum est etiam in schola Zanchij, Filiũ Dei non fuisse incarnandũ, nisi illud peccasset. Sed & sacræ literæ docent, post lapsum Capiti generis nostri demum semen mulieris à filio Dei assumendum revelatum esse. Si dixerit, illam revelationem hominibus tum primum fuisse communicatam, unde probabit, angelis prius illud mysterium fuisse patefactum? si angelis manifestata fuisset τῆ λόγῳ incarnatio & ruina generis humani & statim in odium illius mysterij lapsi essent apostatæ angeli, cur in ruinam generis humani conspirassent, per quam veritatem exosam in effectum deductam iri ex revelatione didicerunt? Itaque ad compositum à Zanchio syllogismum ut respondeamus, limitamus majorem; *Quæcunq; nunc*

& ab

& ab initio mundi deteſtantur & damnant & perſequuntur tam per tyrannos quam per hæreticos mali angeli, ea & in initio ab ijsdem damnata & rejecta fuerunt, ſed eo, quo ipſis revelata fuerunt. Neq; enim initium revelationis cum initio mundi confundendum eſt. Nec certum eſt, imò hoc ipſum in controverſia eſt, initium ruinæ poſterius ordine eſſe illo initio revelationis de miſſione Filii Dei facta. Id autem fatemur, illico atque veritas cœleſtis de Mediatore in mundo patuit, Satanæ contra eam efferbuiſſe rabiem. Sed & iſta veritas non eſt, quam nec impugnare potuit Satan, neminem tam angelorum quam hominum futurum beatum, niſi per gratiam Chriſti & propter Chriſtum, ſeu ut Bucanus L. C. p. 72. loquitur, Et angelos opus habuiſſe Mediatore, non quidem redemtionis à peccato ſed præſervationis & recapitulationis. Eph. 1, 10. Docet hoc Dan. Chamier *Panſtrat. Cathol. Tomo* III. *lib.* V. *c.* 9. *n.* 11. 12. 13. 14. 15. Inprimis num. 16. inquit. *Poſſum altius: Non enim Angelorum Mediator eſt Chriſtus. Auguſtinus teſtis in expoſ. cap.* 3. *ad Galatas.* Angeli, qui non lapſi ſunt à conſpectu Dei, Mediatore non opus habent, per quem reconcilientur. *Atq; eam ob cauſam Enchir. c.* 61. *negat*, eundem mortuum eſſe pro angelis, *ut & Thomas & Bellarminus ipſe de Chriſto lib.* 1. *cap.* 8. *aſſerit, non tantum Angelorum negans Chriſtum Mediatorem, ſed etiam Adami ante lapſum. Quod & Auguſt. docet Enchiridij c.* 108. Cum factus eſt Adam, *inquit*, homo ſc. rectus, mediatore non opus erat. Qua de re vide uberius diſſerentem D. noſtrum Feurborn. *T.* 7. *diſſ. Giß.* 13. *θ.* 165. *& ſeq.* Porro inter rationes theſi 4. propoſitas prima planè concidit cum illo compoſito, quem jam refutavimus, ſyllogiſmo. *Circa quod nunc ſemper labitur & peccat Satan, in eo ab initio non ſtetit*; ab initio ſc. revelationis & ſufficientis propoſitionis probæque, ut ait Zanchius, intellectionis; At nunc ſemper labitur circa veritatem Evangelij. Quanquam non tantum. Circa multas etiam alias veritates labitur, quæ cum illa neceſſitate perpetua non cohæſerunt ſemper. Ab initio ergo revelationis etiam huius veritatis contra eam lapſus fuit & ſæviit. Probandum verò, illud cum lapſus angelorum initio unum eſſe. Altera ratio ab oppoſito petita ſimiliter non probat id, quod probandum eſt. *Mendacium, quod hodie loquitur Satan, opponitur illi*

veritati, in qua non steterit. Nimirum, vel formaliter & expresse; vel in virtute principij alicuius. Veritas sanctitatis & justitiæ angelis concreatæ respuebat omne id, quod unquam & uspiam veritati archetypæ adversaturum erat. Qui itaque ab illa veritate excidit, ille se hoc ipso hostem profitetur veritatis archetypæ & revelationum, sive jam factæ sint, sive aliquando faciendæ. Sic itaque Satanæ intellectus habitualiter aversus fuit à veritate, cui se in progressu revelationum factarum actualiter opponit. Causa, cur resipiscere non amplius possit Satan, est in justo Dei judicio. 2. Pet. 2, 4. Jud. 6. itaque illa coniectura, quod commiserit peccatum in Spiritum S. veritatem Evangelij à se agnitam scienter & volenter improbando & damnando, figmentum est. Neq; enim initio lapsus eius ipsi ea veritas fuit proposita, neque si proposita fuisset, pro ipso fuisset, aut ad ipsum pertinuisset. Scholasticos veteres & recentiores ex ordine decretorum divinorum impugnantem vide Vasquez *T. 2. in I. Thom. disp. 233.* Et contra Ascanium Martinengum, Franciscum Suarez, P. Granadum idem agit Rodericus de Arriaga *in I. Tom. 2. disp. 24. q. 5.*

§. 15. Nunc ex illa accusatione Salvatoris propositum divinum elucescit. *Quem enim consubstantialis Deo Patri veritas accusat, quod in veritate concreatæ sanctitatis & justitiæ non steterit, ei ipsa veritatem in qua perseverare poterat communicavit, de eius perseverantia in veritate quoque propositum habuit.* Quia enim veritatem illam non aliunde, quam ab archetypa veritate habere potuit, si non habuit is, qui accusatur, veritatem sua natura durabilem & eo quoq; animo ab archetypa veritate communicatam, quo prætextu accusabitur ab archetypa & consubstantiali Deo Patri veritate? Cui enim ex intentione dantis Dei non est communicata veritas stabilis, seu quæ perseverare posset, quomodo is accusari potest, si in veritate non stetit? si ipsa veritas ita comparata non est, ut durare ex intentione dantis Dei debuerit? *At Diabolum cum apostatis angelis Iesus Christus consubstantialis Deo Patri veritas accusat, quod in veritate concreatæ sanctitatis & justitiæ non steterit,* ut ex hactenus deductis liquet. E. Jesus Christus consubstantialis Deo Patri veritas Diabolo cum apostatis angelis veritatem, in qua perseverare poterant, communicavit, & de eius perseverantia in veri-

tate

tate propositum habuit. Agnovit hanc conclusionem, cuius verba supra laudavimus, Henr. Bullingerus: *Deus diabolo*, inquit, *vires perseverandi si voluisset, contulerat Nam stare potuisset, si modo voluisset.* Quæ verba etiam repetit Marloratus *in expos. Cathol. h. l.* Confer alios supra commemoratos. Quibus subscribit And. Hyperius in Methodo theolog. lib. 2. p. 281. dum ait: *Liberrimam fuisse omnibus angelis voluntatem, potuisseq; eos per eam aut deficere à proposito veritate, aut in hac persistere, ostendimus.*

§. 16. *Locus Iud. vers. 6. expenditur.*

Secundum est ex Judæ vers. 6. ubi ἄγγελοι dicuntur μὴ τηρήσαντες τὴν ἑαυτῶν ἀρχὴν, ἀλλὰ ἀπολίποντες τὸ ἴδιον οἰκητήριον. Vbi notamus I. per angelos non intelligi *principes populi Israelitici, qui in deserto ceciderunt, nec assecuti sunt portionem suam hæreditariam.* Vasquez l. c. commemorat, nonnullos recentiores ita censuisse: fortasse *quia* si de lapsu angelorum tanquam spirituum h. l. sermocinari voluisset, angelicam ruinam tanquam omnium primam & gravissimam præposuisset Apostolus exemplis judicij divini: *quia* v. 6. per particulam τε videtur connecti cum v. 5. Ait enim Apostolus, ἀγγέλοις τε &c. *quia* videtur esse oppositio inter λαὸν & ἀγγέλους h. e. legatos & duces τοῦ λαοῦ. *quia* illi principes non contenti vocatione divina revera amiserunt suum principatum, dum non servaverunt leges principatus sui, & dum resilire in Ægyptum voluerunt, domicilium suum tot seculis antea promissum deseruerunt: *quia* v. 7. dicitur, quod Deus Sodomam, Gomorrham finitimasq; civitates, quæ ὅμοιον τούτοις sc. principibus populi Israelitici v. 6. propositis, imò & ipsi populo Israel v. 5. scortatæ fuerunt, &c. pariter in exemplar vindictæ æternæ oculis nostris obversari velit. Sed malè! Nam communi antiquitatis consensu intelliguntur spiritus, qui à Deo defecerunt, qui nititur invicta S. Petri attestatione 2. ep. c. 2, 4. qui sumto à ruina angelorum initio ad mundum antediluvianum progreditur & eversionem Sodomorum & Gomorrhorum. Nec vocabulum ἀγγέλων absolutè positum aliud permittit. Quod autem Judas inter Israelitas in deserto perditos & Sodomitas Gomorrhæosq; eversos collocat angelos, ad libertatem scriptionis divinitus gubernatæ pertinet, quæ non serie, sed reipsa pugnat & commovet. Particula τε textus continuationi subservit,

nec ultra quicquam operatur. Oppositio fingitur. Sub λαῷ, quem Dominus Jesus ex Ægypto servatum eduxit, omnes Israelitæ adeòque etiam primores principesque comprehenduntur, quos Deus justo judicio perdidit. Sed & peccatum principum Israeliticorum aliud fuit, quam quod suum principatum deseruerunt. Neque explicari commodè potest, quomodo τὸ ἴδιον οἰκητήριον reliquerint principes illi? Deniq; τὸ τρόπον ὅμοιον αὐτοῖς ad Sodomitas & Gomorrhæos respicit. Describuntur sc. illæ civitates, quæ eo planè scelerum genere sese contaminaverunt, quo ipsi Sodomitæ & Gomorrhæi. Ne omnes finitimas civitates designasse Apostolum quis existimet.

§. 17. Notamus II. per ἀρχὴν, quam angeli illi non observaverunt aut conservaverunt, non intelligi duntaxat initium, sed perfectionem principio creationis ipsis communicatam. Neq; enim exaggerationi, quam hoc loco facit S. Judas, satis est, si de initio creationis præcisè accipiatur. Hinc vulgatus reddit, principatum. Syrus habet רישנותהון, Eduard. Pekoke vertit primatum suum. Nimirum ea ἀρχὴ h. l. intelligitur, à qua Sancti etiam angeli vocantur ἀρχαὶ *Eph.* 2, 21. *Col.* 1, 16. cuius respectu etiamnum apostatæ angeli vocantur ἀρχαὶ 1. *Cor.* 15, 24. *Eph.* 6, 12. Neque opus esse, ut peculiarem S. angelorum ordinem intelligamus, *in diss. de Cherubinis, quæ inter singul. Angelica* tertia est, monstravimus. Neq; satis dicit Lorinus *Comm. h. l. p.* 343. qui intelligit principatum, quem habituri fuissent in administratione mundi. Ita quidem Græcos Patres philosophari supra ex Damascено didicimus, quod ex iis virtutibus angelicis ea, quæ præerat terrestri ordini & cui à Deo terræ custodia commissa erat, mala facta fuerit. Sed hoc nullo argumento sanctarum literarum roboratur. Quod enim *Eph.* 6, 12. ἀρχαὶ dicuntur κοσμοκράτορες τοῦ σκότους τοῦ αἰῶνος τούτου, non hoc sensu accipiendum est, quasi illæ ipsæ ἀρχαὶ ex institutione divina excitatæ & conditæ fuerint ad κοσμοκρατορίαν. Indicat enim Apostolus, quod exponit *loco supra nominato sermone* 17. *in Cant.* Bernardus: Accepit *Sathan regnum super omnes filios superbiæ, factus princeps tenebrarum harum, ut regno humilitatis etiam superbia militet, dum in uno suo principatu temporali & tali multos humiles excelsos æternosq; Reges, constituit.*

Anselm.

Anselmus Laudunensis *in glossa interlin.* de principatu in alios angelos intelligit ἀρχὴν, quem sequitur Thomas Anglicus. Sed nec ista sententia suam è vero principio deducit certitudinem. Oecumenius, quem cum nominamus, Græcos Patres, quorum sententias compendio collegit, nominamus, intelligit angelicæ dignitatis præstantiam cœlestemq; vitam Dei benignitate datam, sed à malis neglectam ac reprobatam. Cyrillus Alexandr. *contra Iulian. Apost. lib.* IV. *Plurimi erant olim inter sanctos Angelos & supernorum spirituum choros numerati, qui beatam & sanctam vivebant vitam, sed ut sacra scriptura dicit, non servabant suum principatum & valedicebant divino consortio ad deteriora prolapsi. Etiam miseri hanc suam provinciam arbitrati sunt, ut ad hoc, ne Deo Patri subiecti essemus, inhortarentur, asperi & superbi, à sanctorum multitudine separati, & terrebant homines, avertentes illos ab omni virtute &c.*

Notamus III. τὸ ἴδιον οἰκητήριον designare beatissimam felicissimamq; mansionem gloriæ, in qua angeli primum collocati sunt. Glossa Interl. & alij *cœlestem habitationem, in qua spiritualis Dei visio*, vocant. Oecumenius *cœleste vitæ institutum.* Arabs *ordinem seu constitutum officium suum* vocat. Pleriq; Pontificij *cœlum empyreum* intelligunt: quod esse prius ostendendũ est, quam esse hoc οἰκητήριον asseratur. *Qua de re egimus dissert. 6. Anti Cogentiana* §. 7. *& seqq.* Ineptè Henricus Lancellotus Augustinianus *Comm. in h. l.* pro *cœlo empyreo* philosophatur: *Cum*, inquit, *decrevisset eos Deus toti naturæ corporali præficere, æquum erat, ut in supremo corpore tanquam nobilissimo loco sibiq; maximè proportionato conderentur, hoc autem est cœlum empyreum.* Demus enim esse cœlum empyreum, demus eosdem angelos præfecturæ totius creaturæ corporalis destinatos esse, quod utrumque nondum satis explicatum est, ecquomodo in cœlo empyreo ceu domicilio proportionatissimo eosdem condi oportuit? Syrus *h. l.* habet עומרא, quod *habitaculum, mansionem* denotat. Johannes *c.* 14, 2. μονὰς vocat. LXX. vocabulum οἰκητήριον habent, ubi Hebr. est מעון Jer. 25, 30. *Dominus de excelso rugiet & de habitaculo suo sancto* ממעון קדשו *dabit vocem suam.* 1. Paral. 30, 27. est apud LXX. vox κατοικητηρίου, ubi in fontibus est מעון & ipse *thronus Dei* intelli- §. 18.

telligitur. *Pervenit oratio illorum in habitaculum ſanctum illius, in cœlum.* Deut. 26, 15. eſt apud LXX. pro iſta radice κατοίκησις. *Proſpice ex habitaculo ſanctitatis tuæ è cœlis.* Pſalm. 68, 6. LXX. habent τόπον ἅγιον θεῦ, ubi Symmachus habet ἡγιασμένον καλοικητήριον. Aquila βασίλεια ἁγια. Vt igitur οἰκητήριον & κατοικητήριον Deo tributum notat lucem quam Deus inhabitat & gloriæ infinitæ conditionem, ſic etiam cum angelis attribuitur, angelicam lucem gloriamque deſignat. Theodoretus *ſerm. 3. de angelis ſeu Diis & dæmonibus malis.* *Cum*, inquit, *datis ſibi muneribus contenti non eſſent, ſed altiora quoq; appeterent, contraxiſſe labem ſuperbiæ illos dicimus, ita ut ea quoq; dignitate caſti prorſus exciderint, qua honeſtati ab initio fuerant.*

§. 19. Nunc ſic ex h. l. concludimus. *Quos conditor ſapientiſſimus,* Κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς, μόνος δεσπότης θεὸς, *collocavit in* ἀρχὴ *ſervandam & in* οἰκητήριον *non deſerendum, illos ea intentione eoq; propoſito condidit, ut perſeverarent datis ad id auxilijs ſufficientibus.* Repugnaret enim ſibi ipſi Opt. Max. conditor, ſi in ἀρχὴ ſervandam & domicilium non deſerendum aliquos collocaret, & tamen nollet ſeriò & antecedente quadam voluntatis ſuæ determinatione eoſdem datis ad id ſufficientibus auxilijs perſeverare. Rurſus; quos ideò vinculis æternis ſub caligine ad diem magni judicij Deus ſervat, quia ipſi non ſervarunt ſuum principatum & deſeruerunt ſuum domicilium, iſtos omnino efficaci propoſito voluit perſeverare in domicilio & principatu. Cur enim puniret caligine vinculisque horrendiſſimis ob deſertionem ſtatus, in quo noluit ipſos perſeverare? Cur plecteret, ob non ſervatum principatum, qui noluit eos in principatu ſervare? *Atqui ſolus herus, Deus & Dominus noſter Ieſus Chriſtus, conditor ſapientiſſimus, angelos collocavit in* ἀρχὴ *ſervandam & in* οἰκητήριον *non deſerendum.* Reprehenduntur enim, quod fuerint μὴ τηρήσαντες τὴν ἑαυτῶν ἀρχὴν, ἀλλὰ ἀπολίποντες τὸ ἴδιον οἰκητήριον. E. Angelos etiam lapſos ea intentione eoq; propoſito condidit, ut in principatu domicilioq; ſuo datis ad id ſufficientibus auxilijs perſeverarent. Henr. Bullinger h. l. ita vim argumenti Apoſtolici enucleat: *Non profuit angelis, quod conditi, adeòq; divinæ naturæ eſſent facti conſortes. Vbi enim felicißimam ſuam naturam mutuſſent in pravitatem, neq; perſtitiſſent*

tissent in sua conditione, cœlo deturbati sunt ad inferos, ubi detinentur in vinculis ad ultimum illud judicium usque, in quo æternæ damnationis sententiam suscipient. Ita quidem nil proderit & nobis, quod optimè condidit nos Dominus, quod per filium redemit, nisi in statione nostra & officio maneamus, facientes, quæ decent Dei filios. Calvinus h. l. dicit, sic ab angelis stationem, in qua collocati erant, desertam fuisse, sicut à militibus transfugis. Est autem seria voluntas Imperatoris, ut milites transfugientes in statione perseverent.

§. 20. *Circa perfectionem hominibus communicatam & præcepto explicatam fuisse propositum continuandi.*

Quemadmodum autem angelicæ creaturæ productio non solum ex consilio propositoque Dei profluxit, sed etiam eorsum referendum est, quod per creationem in eum statum collocati sunt, in quo per impressa & concreata præcepta ad beatitudinem sempiternam gubernari debuerunt, adeòq; certò Deus sibi proposuit angelis universis hunc statum non duntaxat communicare, sed etiam determinata ἐνεργείᾳ continuare, nisi per prius angeli conditionis vinculum rupissent, ita etiam creatio hominis ex proposito divino ad hunc finem facta fuit, ut homo in imagine Dei concreata perseveraret & perennaret. Hoc patet EX IPSA RATIONE, qua ad imaginem suam Deus in Adamo condidit totum genus humanum. Quod autem ad imaginem Dei dicitur conditum, hoc ipsum cum proposito perseverantiæ & sufficientissimi ad eam concursus divini conditum intelligendum est. Nam imago Dei etiam vitam æternam intimè includit & in prima creatione incluserat: ***tum quia*** justitia & sanctitas vera cum vita æterna indiviso nexu cohærent, imago verò Dei in sanctitate & justitia vera posita est: ***tum quia*** privatio imaginis Dei mortem æternam includit: unde positio eiusdem vitam æternam excludere nequit: ***tum quia*** vita quoque æterna per Christum nobis reparatur, quod verò per Christum nobis reparatur, in imagine Dei continebatur, fatente etiam Calvino *Inst.* l. 1. *c.* 15. *s.* 4. quod plurimi etiam alij profitentur. Vrsinus *part.* I. *expl. Catech. p.* 36. Bucanus *Instit. p.* 99. &c. Ad vitam verò æternam destinari in creatione non poterat genus hominum, nisi Deus propositum perseverantiæ (licet ordinatum) & sufficientissimi ad eam concursus divini circa idem habuisset. Nullo enim modo tolerari debet subterfugium Piscatoris,

toris, quo usus est *in apologet. contra Cl. Antecessorem nostrum D. Taufrer. resp. ad syllog. membrum* 2. scilicet, verbis illis *ad imaginem* non significari *finem creationis, sed formam, non ad quid creaverit hominem, sed qualem, nimirum rectum.* Zach. Vrsinus *l. c. p.* elenchũ oppositionis jam pridem annotavit. *Est*, inquit, *imago Dei forma & finis diverso respectu. Nam & talem hominem Deus condidit, qui beatus & felix eum rectè agnosceret & celebraret, & in hunc finem condidit, ut ab eo deinceps in æternum agnosceretur & celebraretur & ut se ei perpetuo communicaret. Conditus igitur est homo felix, rectè Deum agnoscens & celebrans: hæc fuit ipsius forma, quam in creatione accepit, & simul conditus est ad hoc, ut talis perpetuò maneret. Rectè igitur dicitur utrumque, & quod sit creatus talis, & quod sit creatus ad hoc, ut talis esset. Prius pertinet ad quæstionem qualis respectu principij, posterius ad quæstionem ad quid respectu perseverantiæ. Sic ad Eph. 4,24. justitia & sanctitas vera, cum sint novi hominis forma, dicuntur eius finis. Neq; absurdum est, idem diverso respectu dici formam & finem. Quod enim est forma respectu creaturæ, dicitur finis respectu intentionis creationis.* hæc Vrsinus. Consideremus autem, quando Piscator imaginẽ divinam *formam creationis Adami* vocat, an animo cõmunicandi universis posteris illam Adamo Deus concreaverit, an secus. Si hoc; ergò ob carentiam imaginis divinæ posteri Adami non damnantur. Carentia enim damnans eius est, quod cum debebat inesse, contra postulantis, ut insit, voluntatem non inest: ergò non omnis homo in Adamo peccavit amittendo imaginem divinam; quod enim in Adamo omni homini finaliter non erat destinatum ex beneficio amplissimoq; divino proposito, circa id homo non peccat: Ergò falsum est, omnem hominẽ *virtute* πρωτοπλασίας seu *primis parentibus datæ perfectionis respectu*, creatum esse ἐν ἀφθαρσίᾳ *inexterminabilem Sap.* 2,23. Itaq; necesse est dicere, animæ cõmunicandi universis divinam illam formam pulcherrimo imaginis Adamo concreatam fuisse. *Sed hanc materiam copiosè pertractavit Doctor noster ante laudatus Disp. apolog. 2. à θ. 1. ad* 40.

§. 21. *Præceptum Dei originaliter cõcursum Dei confert aut offert.*

Notamus III. *collocationem creaturæ rationalis in eum statum, in quo præceptis divinis sive cõcreatis sive promulgatis ad certũ finem gubernaretur, esse cum determinatione sufficientis serijq; & planè proportionati concursus divini, qui ex æterno proposito dispensandus, nec antecedente divina*

vina voluntate ſubtrahendus ſit. Paucis: *cum primum præcepit Deus creaturæ, aut dedit jam vires aut dare paratus eſt ſatis efficaces ad præcepti impletionem.* Nam *præceptum divinum univerſale* eſt *primò* providentiæ divinæ & diſpenſationis rerum in mente divina factæ interpretatio. Ita enim Deus rerum ſeriem inſtituit & inſtituere ſibi propoſuit, ut pulcherrima eſt & ſapientiæ ſuę maximè conſentanea. Ita pulcherrima eſt & ſapientiæ æternæ cõgrua, ut præcepti idea complectitur. Itaq; præceptũ cum ipſo propoſito ordinandi dandique vires ad præceptum coniunctum eſt. *Deinde* præceptum divinum univerſale creaturæ rationali datum, *eſt menſura concurſus divini dandi ſperandique.* Eouſque creatura rationalis certiſſima poteſt eſſe de concurſu divino proportionato dando, quouſque limites præceptorum ſeſe extendunt. Si enim Deus ultra primùm inſtituiſſet præcipere & exigere à creatura rationali, quam admetiri vires propoſuit, feciſſet contra ſapientiam ſuam. *Aut enim* vires ad pulchritudinem & harmoniam rerum ſufficientes non dediſſe dicendus eſſet, *aut* præcepta univerſæ creaturæ rationali iniunxiſſe, diſſolutura ordinẽ rerum, dum ultra eum poſtulant. Neceſſe eſt igitur præcepta divina ſecundum originem ſuam & primigeniam expreſſionem ſuppoſuiſſe & promiſiſſe concurſum divinum. *Tertiò* quando certum aliquod actionum genus Deus aliquibus circumſcripſit præceptis ab initio, *aut* illud actionum genus mandavit creaturæ rationali *ab initio* ut *in ſe & ſimpliciter poßibile, aut* ut *ipſi etiam creaturæ rationali iſto mandato ligatæ poßibile.* Si prius, non obligavit ad illud genus actionum mandatum creaturam rationalem. Neq; enim quod mandatur *ut poßibile abſolutè*, ſtatim mandatur & obligationem parit *huic* aut *illi generi creaturarum.* Si poſterius, *aut* intelligendum eſt illud mandatum *ſuppoſita obligatione Dei ad concurſum proportionatum, aut* ſine *eiusmodi ſuppoſitione.* Non hoc: quid enim præſtabitur negato concurſu divino? Ergò ſupponitur concurſus divini obligatio. Habemus ergo propoſitum efficacis concurſus divini cum revelatione præcepti eiuſmodi univerſalis patefactum. *Quartò* liquet de facto tum *ex hominum*, tum *ex angelorum* in ordinem præceptorum divinorum collocatione. De his certum eſt, quod concreatis præceptis ad præſtandam obœdientiam Deus concurſum ſuum deſti-

naverit efficaciter. Nam si habuit Deus propositum, ut *in veritate concreata*, sub qua etiam præceptum de sanctitatis & puritatis exercitio & de non affectanda autonomia & æqualitate cum Deo continebatur, *persisterent angeli*, qui prolapsi sunt, *ut servarent principatum suum* principatusq; leges, ut μονὰς sanctas legesq; illis congruas nõ derelinquerent, habuit omnino etiam propositum concursum suum dispensandi, qui sustineret in veritatis, principatus, domiciliiq; legibus observandis. Prius supra à nobis evictum est. De hominibus itidem constat illa obligatio concursus divini. Et quidem de præceptis concreatis sive in imaginis divinæ ambitu comprehensis, ex superioribus liquet. Nam si homo ad imaginem Dei creatus fuit *finaliter*, etiam cum concursus divini ad observantiam omnium præceptorum pollicitatione, destinatione & obligatione. De præceptis *post lapsum datis*, etiam demonstrari potest facile. Quando enim urget Deus legem in homine & ab homine eius observantiam strictam, tunc omninò etiam concursum naturæ humanæ congruum & cõmensuratum præstat, ut homo legi observantiam præstare possit. Patet hoc ex consideratione angelorum lapsorum. Ab illis enim non efflagitat obœdientiam, quia nulla gratia complexus est, quia omnem concursum & auxilia præstandæ legis intercidit. Hinc quando *ex uno sanguine omne genus hominum super universam faciem terræ voluit dispergi, ut quærat Deum & apprehendat*, *sanè istud* de complectendo & quærendo Deo præceptum non est sine concursu divino, sed eundem intimè habet illigatũ, id quod & testatur S. Paulus *Act.* 17, 17. 21. cum ait, *non longè abesse ab unoquoq; homine Deum, omnes in ipso vivere, moveri & esse*. Nam verba illa non *nudam omnipræsentiam Dei* designant, sed etiam *peculiarem Dei concursum*, *singularia auxilia* ad quærendum Deum destinata cœlitus. *Deum enim prope esse* non solam *adessentiam*, sed etiam *efficacem concursum* denotat. Quoniam verò impossibile est homini lapso, positis ab initio divinitus ordinatis tantùm auxiliis, legi satisfacere, & tamen vi creationis homo ad istam satisfactionẽ obligatur, adeoq; salva justitia sua Deus jus suum non potest non urgere, jam ex gratia Dei altioris ordinis concursus Dei ortus est, *de quo Rom.* 8, 3. Imò & promissiones Evangelicæ, quæ sub præcepti ratione ad

capes-

capeſſenda cœleſtia myſteria atq; beneficia invitant & compellant, omnibus, quibuscunque de illis acceptandis revelatio contingit, cum obligatione & efficaci inſinuatione concurſus divini proponuntur. Secus proponerentur illis, quibus denegatus concurs° ad acceptationē ſatis efficax omnes acceptādi vires denegat.

§. 22.

Vnde fluit I. *quod voluntas divina præcipiens & exigens non ſit niſi medium voluntatis divinæ efficacis, decernentis, operantis.* Nimirum voluntas divina efficax, decernens, operans, cum præcepto ſeu voluntate Dei præcipiente atq; exigente intimè cōiungitur. Reipſa una eademq; voluntas eſt. Præceptum explicat & quid Deus fieri velit & quid facere, ſi de ordinaria ratione præcepti loquamur. Exprimit igitur voluntatem Dei, quæ facit, h.e. efficacem & operantē. Itaq; præceptum neceſſariò coñexum eſt cum voluntate Dei efficaci & operante. Sanè niſi præceptum Dei, plenè planèq; propoſitum, ad voluntatem Dei efficacem & operantem ordinatum eſt, ut medium ad eius gubernationē pertinens, cui ſeſe coñectit & ex ordinaria ſua lege concurſu proportionato attemperat, fruſtra planè erit præceptū. Fluit II. *quod voluntas præcipiens ſit decretorum divinorum ectypus & expreſſio omnis juſtitiæ Dei & diſpoſitionis gratioſæ.* Præcepta Dei ſanè in mente Dei archetypum præſupponunt. Sunt expreſſio ex libro quaſi Dei, in quo ab æternitate conſiliorū Dei extat deſcripta ratio. Non eſt igitur is archetypus alius, quam ex quo operationum divinarum promanat in tempore ſeries. Quomodo enim decreviſſet Deus alia idea præcipere, alia agere & cum agentibus inferioribus concurrere? Sanè hęc adverſantur ſapientiæ Dei, dicere, *Deum ab omni æternitate ideā præceptorū in tempore promulgandorum concepiſſe, & aliam ideam actionum ſuarum circa eos, quos præceptis informaturus eſt, ultra præceptorum ſeriem edendarum aut in illis eliciendarum.* Sanè quemadmodum ſapientia cœleſtis in tempore mandat creaturis irrationalib° & inanimatis, ita ab æterno ſe mandaturū decrevit, & actio mandantis in tempore fluit ex decreti de mandando ſinu, nec ordinariè aliter agit atq; jubet agere; ſic etiam in creaturis rationalib° *præceptum* in tempore eſt originaliter ex decreto æterno, & *propoſitio præcepti*, imò & *propoſitionis repetitio* eſt promiſſio tacita concurſus divini. Fluit III *quod voluntas divina præcipiens, quo ad præcepta ſpeciei*

creaturæ rationalis propoſita, ſeria ſit. Eſt enim, uti diximus, ex propoſito divino circa ſpeciē aliquam creaturæ rationalis. Eſt cum incluſione concurſus divini ſufficientis. Eſt medium voluntatis decernentis. Eſt decretorum divinorū ectypus. Etiam præcepta, quæ individuo alicui nonnunquam proponuntur aut propoſita leguntur, *eouſq;* ſeriam divinam voluntatē indicant & talem indicare exiſtimanda ſunt, quouſq; non *per contrariam diſpoſitionem* ita dilucidantur, ut intelligi poſſit, abrumpendam eſſe juxta ea operationem. Sic mandatum de imolando Iſaaco, quod Abrahæ Deus dedit, eouſq; obligabat Abrahamū & ſerium fuit, quouſq; Deus actiones Abrahæ non interrupit. Eſt ſacrificatio *ex multis actionibus aggregatū opus*, in qua ab uno gradu ad alium circa victimam progreditur ſacrificaturus, donec ultimam manū imponat. Cum igitur Deus præcipit ſacrificationem, ſerium illud præceptū eſſe intelligendum eſt. An autem in extraordinaria eiuſmodi intimatione Deus totum conſumari velit per omnes gradus, ea fide tranſcribendum eſt Deo, qua ad primū actum proceditur. Quanquam in univerſum alia ſit ratio eiuſmodi ſingulariū, extraordinariorū, & tentantium præceptorum, quam eſt præceptorū univerſaliū & ordinariorū, de quo ſuo loco agendi dabitur occaſio.

§. 23. Nunc facilis eſt differentiæ §. 1. & 2. propoſitæ, quam *inter voluntatem decernentem, efficacem, operantem & voluntatem præcipientem atq; exigentem* conſtituis, Triglandi, dijudicatio. Fatemur 1. *voluntatis divinæ præcepta* propriè ſic dicta *duntaxat ad creaturas rationales pertinere.* Verum autem non eſt 2. *voluntatē divinam præcipientem non adhibere potentiam, ſed tantū exigere & præcipere, velleq; à creatura potentiam ſibi divinitus inditam adhiberi.* Nam quoniam præcipiens divina voluntas ſimul aut actu diſpenſat, aut parata eſt diſpenſare concurſum ſufficientem ad præcepti præſtationem, quomodo non adhiberet potentiam? Adde, ipſum verbum præcipientis voluntatis divinæ non deſtitui divina potentia. Hoc ipſo verbum Dei à quovis alio diſtinguitur, quod verbum humanum obiectivè tantum intellectui & voluntati inferatur, verbum divinum præter obiectū etiam divinam vim, potentiamq; inſuper adhibeat. De quo negotio alibi copioſè diſputatum eſt. Itaq; defendi non debet, quod dicitur *voluntatem præcipientē & exigentem*

Part. 2. theol. Zach. ſ. 1. diſp. 1. §. 31. Conſid. Anti-Zwing. diſp. 1. §. 15. & ſeqq.

velle

velle à creatura potentiam inditã adhiberi, ut effectũ producat ipſa poſtulatum. Non ita, mi Triglandi, ſemper. Equidem in creatura rationali integra *voluntas præcipiens requirit, ut potentiã ſibi à Deo inditam adhibeat ad effectum poſtulatum* producendũ. Sed nec in ea *ſolam inditam potentiam requirit,* ſed & ſuam adhibet, quam ipſo præcepto confirmat eſſe præſentiſſimam. In creatura verò lapſa dum præcipit, requirit quidem integritatem, quam perdidit creatura ſuo vitio, ſed non hic ſubſiſtit, verum urgendo præcepti rigorem illuminat de amiſſo, cõmonefacit de debito, terret de promerito, cõminuit, conterit, proſternit per legem, & huc ſanè potentiam adhibet. Et hucuſq; ſapiens adminiſtratio præcepti à voluntate exigente propoſiti cum potentia divina adeſt. Sed & quando creaturæ mandata Evangelij exponit voluntas divina præcipiẽs, fidem & pœnitentiam requirens, non ſanè hoc agit, ut potentiam inditam adhibeat ad credendum & pœnitendum, quam nec habet, nec perdidit. Potius potentiam divinam adhibet, dum ſic præcipit, & docet, quid facere ipſe velit, non quid nos facere poſſimus. *Evangelium eſt potentia Dei ad credendum, Rom. 1, 16.* Itaq; cum iſto concurſus gratioſus divinus, qui vivificare, ſalvare, juſtificare, regenerare poteſt, concipiendus eſt. Periculosè errant, qui hic potentiam Dei ſubmovent. Hic enim voluntas præcipiens à decernente, efficaci & operante dirimi non debet. 3. *Voluntas decernens libera eſt, potensq; creaturas pro ſapientia dirigere, quomodo & quocunq; vult,* ſed ſi conſideretur ante decretorũ divinorum æternam conſtitutionem, ex qua in tempore voluntas exigens, ordinans & mandans ſeſe patefecit. Sic enim ex ſuma libertate ſeſe ad certum ordinem obligavit Deus. Ille refulget in præceptis & revelationibus. Licet enim interdum aliquid *ultra hunc ordinem* agat & addat, ad teſtificandã ſapientiæ gratiæq; abyſſum, ſemper tamen *ad hunc ordinem* reſpicit. Hinc *ſicut ex ſuppoſito productionis creaturarum rationalium & rationis, qua illas inſtruxit, neceſſariò vult & poſtulat Deus ab illis obœdientiam,* ita ille viciſſim neceſſariò tenet creaturam in ordine requiſitorum ad illam obœdientiam, ea qua valet potentia, nec ordinem ſolvit antegredientis abſoluti decreti vi, ſed ſollicitato demum per creaturam nexu. 4. Falſum eſt, *voluntati efficaci, decernenti & operanti non poſſe ineſſe diſplicentiam.*

Conf. Bernhard. ſerm. 50. in Cant.

Equi-

Equidem ante decretũ aliquem creandorũ ordinẽ, ſub poſſibilitate ſimplici varium conſtitui poſſe intellexit Deus rerũ ordinẽ, in quorũ uno hoc, altero aliud conſequeretur; hoc modo autem ordinare decrevit, quia complacuit; non alio, quia diſplicuit. Sic ſacræ literæ loquuntur. Et in hoc rerum ordine, qui ſanctiſſimus eſt, permittere aliqua placuit, quæ diſplicent, quæ efficaci & operanti Dei voluntati refragantur. Huius rei certiſſimum fundamentum, quia repugnat nonnullis voluntas præcipiens & & exigens. Quod enim hac vetat, efficaci non facit, ſed permittit, idque ideò, quia permittit, diſplicet. Sanè quibus improbante, comminante, puniente voluntate pœnas decernit, ex diſplicentia, illis nequaquam ex complacentia erga peccata voluntate efficaci, decernente & operante eas irrogat. Nec perſpici poteſt, quomodo *inobœdientia non poſſit non eſſe ingrata, imo exoſa Deo, quia infinitam eius ladit majeſtatem*, nec tamen voluntas efficax, decernens & operans Dei aliqua contra eam feratur diſplicentia. 5. Falſum eſt, quod contra *conditionatam voluntatem in Deo* diſputat. Sed hæc infra ſingulari cãpite diſcutientur. Conditio neque incertum, neque dependentem facit Deum, qui eſt liberrimè ordinans. Nec momento temporis differt decretum conditionis, à prævisione eventus. Ordo incertitudinẽ aut dependentiam non parit, qui ſummus in ſummo ente & æternitate eſt, ubi omnis incertitudo, omnis dependentia excluditur. Vide etiam, quæ jam ſupra diximus p. 26. & 40. & ſeqq. Si voluntas præcipiens & exigens conſideretur ut potentiam Dei habens conjunctam, ſanè conditionem habet de efficacia futura poſito certo patefactoq; rerum ordine. Quod *Deus noverit qui ſint obœdituri, qui non*: id quando ordinem actuum divinorũ ex analogia fidei concipimus, non eſt concipiendum ante decretum de his rebus à creaturis rationalibus exigendis. Sic potius ordinat ſcriptura; Deus decrevit ab æterno creare rationales creaturas ſapientiſſimè; decrevit illis imperare, promittere, cominari; prævidet ab æterno, qui imperio repugnent, qui reſiſtant mediis & conditionibus. 6. Falſum eſt, *ex decreto voluntatis efficacis Deum noſſe peccata futura*. Decretum enim de permittendo non eſt cauſa certitudinis exiſtentiæ peccati, ſed ipſa infinitæ divinæ intellectricis virtutis, ut ſuo loco diſputabimus. 7. De *voluntate ſigni & beneplaciti* etiam capite peculiari tractabitur. 8. Vtiliter acceptamus, *Voluntate efficaci, & operante Deum creaturis rationalibus præcepta, promiſſiones ac minas proponere*, ut ad effectum ſuum perducat. Itaq; etiam cum voluntate exigente *humano modo* agit, divina potentia adeſt & non malitioſè reſiſtentibus efficaciam cœleſtem diſpenſat & applicat. Eſt igitur ipſa voluntas efficax, decernens & operans, quæ ſub præceptis, exactionibus, mandatis, minis, promiſſis, invitationibus divino modo agit, nec ab illis, quantum ad intentionem Dei pertinet, ſeparanda eſt. Sed hoc alibi plenius.

Vid. quæ contra diſtinctionem inter voluntatem efficacem & approbantem, itemq; inter voluntatẽ efficacẽ & præcipiẽtem inefficacemque diſputat Maccovius Prof. Franekeranus Coll. Theol. 1. diſp. 5. & 8. de prædeſt. & Coll. II. p. 124. 125. contra Triglandium.

DE VO-

INTERPELLATIONIS
NECESSARIÆ,

Ad

Meditationes

IACOBI TRIGLANDII,

DOCTORIS ET PROFESSORIS
THEOL. LEYDENSIS.

In

Opiniones variorum

DE

VOLUNTATE DEI,
GRATIA UNIVERSALI ET SCIENTIA MEDIA

DISSESTATIO TERTIA

Quam

Divina adspirante gratia

SUB PRÆSIDIO

JOH. GEORGII DORSCHEI,

SS. THEOL. D. ET P. P.

In illustri Argentoratensium Universitate
solenniter pro posse defensum ibit

(Mens. d.

HARTMANNUS MANTZ,

WORMATIENSIS.

***

ARGENTORATI,

Typis JOHANNIS-PHILIPPI MÜLBI,
Academiæ Typographi, 1646

DE VOLVNTATE DEI, GRAT. ET SC. MED.

SECTIONIS PRIMÆ

CAPUT III.

De objecto voluntatis Divinæ, an ſit malum culpæ, qua tale?

ANtequam ad cæteras diſtinctiones voluntatis divinæ in voluntatem *ſigni & beneplaciti, abſolutam & conditionatam, antecedentem & conſequentem &c.* progrediaris, Triglandi, ad objectum voluntatis ejuſdem delaberis. Sequemur motum tuum, & quid nobis videatur ad ſempiternæ veritatis leges de iſtis tuis meditationibus judicandum, cum Deo exponemus. §. 1.

Eſt omnino, ut ais, *quæſtio*, An malum qua malum poſſit eſſe objectum voluntatis divinæ? *accuratè tractanda & enucleanda, ut ritè aſſeratur gloria divinæ bonitatis, juſtitiæ & ſanctitatis: ut aptè concilientur ea, quæ in S. literis circa hanc materiam pugnare inter ſe videntur, denique ut retundantur & profligentur omnes adverſariorum calumniæ.* Trigland. in Medit. p. 17. 18 & 19.

Eſt bonum factum, ſi dextrè explicetur, I. quid ſit, eſſe objectum divinæ voluntatis? II. quæ voluntas Dei hoc loco intelligenda? III. quod malum hoc loco conſideretur?

Ad I. ais: *Voluntatis actionem in Deo, non eſſe duntaxat poſitionem, ſiue actum poſitivum, qua aliquid vult, appetit, eligit: ſed & negativum, qua aliquid non vult, averſatur, repudiat, quam nolitionem vocant. Ratione prioris aliquid propriè dici objectum, utpote circa* §. 2.

quod voluntas versatur actione sua positiva, volendo, appetendo. Cum enim voluntas sit appetitus rationalis, id certè ejus objectum propriè dicendum, circa quod ita versatur, ut ei volendo, appetendo, rationaliter quasi inhæreat. Quamvis enim quod repudiat, ei ab intellectu monstretur, offeratur, objiciatur, tamen circa illud non versatur nisi repudiando, removendo, ita ut illud non habeat pro objecto suo circa quod occupetur, sed potius pro rejectaneo, circa quod occupari nolit. Esse itaq; objectum voluntatis divinæ dicendum, quod ipsa voluntas vult, sive circa quod versatur actione positiva affirmativa. Si quis tamen illud, quod a voluntate rejicitur, sive circa quod voluntas nolendo versatur, velit dici isto sensu objectum voluntatis, non refragandum. Non putamus, hoc loco nodum in scirpo quærendum. Objectum voluntatis est, quod sub rationem velitionis cadere potest, sive jam volitione eligatur, sive postea prætereatur & repudietur. Aliud est loqui de objecto congruo, hoc est, de objecto ex natura voluntatis, ipsius statui & obligationi volentis congruo atque consentienti: aliud de objecto simpliciter. Hoc modo tam objicitur & sub rationem velleitatis, ut sic loquar, caditid, quod reiicitur, quam quod voluntas amplectitur. Sic in libertate contradictionis tam sese offert voluntati τὸ non agere, quam agere. In libertate contrarietatis & specificativa tàm vnum contrariorum, quàm alteram sese offert. Sic voluntati divinæ tam objiciebatur possibilitas condendi mundum, antequam conditus est, quam possibilitas condendi mundum eo momento & tractu, quo conditus est; licet circa illam eadem versata sit actione negativa, nolente, aversante, repudiante, quam nolitionem vocant; circa hanc actione positiva volente, appetente, eligente, quam volitionem vocant. Rursus voluntati divinæ tam objiciebatur possibilitas creandi plures mundos, quam possibilitas creandi vnum & in uno amplissimè demonstrandi divitias opulentiæ, sapientiæ, justitiæ, gratiæ: licet circa illam nolitione, circa hanc volitione versata fuerit. Insuper hodie tam voluntati divinæ objicitur, possibilitas creandi de novo aliqua sive intra huius mundi complexum, sive extra harum specierum ambitum, quam possibilitas non creandi, licet eam eligat, quæ nolitio est, illam repudiet, quæ volitione consummaretur. Sed & Esavus odio aversabilis, & Jacobus

cobus amabilis, voluntati divinæ pariter objiciebantur; imo circa utrumque ut aversabilem & amabilem voluntas divina ab æterno versabatur, & odium illum tetigit, de quo infra, amor hunc prosecutus est. Sic igitur ex eo, quod aliquid nolit voluntas, & inprimis voluntas Dei, non conficitur, illud absolutè & propriè loquendo objectum non fuisse.

Ad II. distinguis *inter voluntatem decernentem seu efficientem, & permittentem, qua vel efficere quidpiam, vel permittere decernit Deus, quæ & arcana voluntas est; & inter voluntatem exigentem & præcipientem, sub quo comprehenditur approbans, cui respondet prohibens & improbans; pro varia huius distinctæ voluntatis consideratione ad propositam quæstionem distinctè respondendum esse pronuncias.* Bene quidem: sed distinctio inter voluntatem decernentem & præcipientem superiori capite excussa est. Voluntas permittens inferius considerabitur. §. 3.

Ad III. ais, *malum duplex esse, aliud pugnare cum bono ethico, aliud cum bono physico: illud esse vitium virtuti oppositum: hoc miseriam beatitudini naturali oppositam: illud culpæ, hoc pœnæ malum vocari. De utroque quæstionem instituis posse. Prius de culpæ malo disquirendum esse. Et quidem si libertas exigens & præcipiens spectetur, omninò dicendum esse, Deum malum culpæ nec approbare, nec approbare posse, adeoque ista voluntate nec velle, nec velle posse. Idcirco enim peccatum esse & malum culpæ, quia voluntati illi in verbo revelatæ adversatur. Respectu voluntatis decernentis difficiliorem quæstionem esse, An illius voluntatis objectum possit esse malum culpæ?* Nos superiori capite regulam constituimus, quicquid voluntatis divinæ præcepto morali repugnat, id objectum voluntatis divinæ & decernentis & efficientis esse non posse. Sed videamus, quid agas? Quæris, §. 4.

An malum culpæ, qua tale, possit esse objectum voluntatis divinæ decernentis?

Occasionem, ais, *huic quæstioni præbent ea scripturæ loca, in quibus id asseri videtur, ex quibus Theologi orthodoxi providentiam Dei circa malum docent & adstruunt: ut & ea Reformatorum Theologorum phrases DVRIORES, in explicatione doctrinæ de providentia Dei usurpatæ, quibus malum culpæ Deo & ejus providentiæ adscribere videntur: unde &* §. 5. *Trigland. Med. pag.* 20. 21.

adversarij nostri quilibet gravissimas struunt calumnias, ac si Deum peccati authorem faciant, Deum verè & propriè peccare dicerent, impiosque omnes ab omni culpa immunes præstarent. Vt ergò S. Scripturæ suus constet verus & genuinus sensus, Deo sanctitatis suæ & justitiæ gloria, piisque & sinceris Ecclesiæ Reformatæ Doctoribus honor integritatis suæ, sincerè & candidè explicari debet, quid ad hanc quæstionem respondendum sit. Rectè faciunt Theologi, qui ex scripturæ textibus providentiam Dei circa malum docent. Nec enim otiosus mali spectator est sapientissimus & potentissimus Deus. Qui verò *phrasibus DVRIORIBVS*, ut ais, id faciunt, si conspiratione quadam & suffragio quasi quodam, non præcipitatione aut disputationis fervore id faciant, non tolerandum censemus, sed candidè improbandum. Ex Theologis, quos Reformatos vocas, nonnullos ita locutos esse, ut revera Deum authorem peccati fecerint & dixerint reipsa, jam dudum nostri probarunt. Et progressus dissertationis hujus, Deo dante, docebit. Amplectimur autem & nos vestigationem veri & genuini sensus S. Scripturæ, assertionemque sanctitatis & justitiæ Dei.

§. 6. Ais ergo, *in malo duo consideranda: 1. ipsam malitiam abstractè consideratam, quæ nihil est præter defectum & privationem, privationem sc. conformitatis cum lege: 2. positivum quid malitiæ illi substratum, quod est actio à creatura rationali profecta, cui malitia sive privatio conformitatis illius cum lege inest. Actionem qua actionem esse objectum voluntatis divinæ, per se planum esse & à nemine nisi Epicuræo negandum; de malitia quæstionem esse. An Dei voluntas decernens possit occupari circa ejusmodi actionem, quatenus ejusmodi actio est, ita ut eam quà talem velit?* Hanc quæstionem negativè definis: *Nam*, inquis *1. voluntatis cujuslibet est bonum velle & quidem nil nisi bonum. Quamvis enim creata voluntas ob mentis cæcitatem sæpe aberret, quicquid tamen vult, non vult nisi sub ratione & specie boni si non ethici, saltem physici, & quod ob physicam solum bonitatem persequitur, ethicæ tamen bonitatis pallio velare nititur. Quanto minus voluntas Dei, qui summè bonus est, malum quà malum velle potest. 2. Deus non potest velle, nisi quod cum natura ejus habet aliquam analogiam, quamvis tenuem. Hinc est, quod potuerit velle, ut creaturæ essent, quia in essentia saltem sua aliqualem cum ejus essentia habent similitudinem. At in malo quà tali, utpote in defectu*

fectu, nullæ ne vel minimæ quidem cum Deo est analogia. Deus enim est absoluta & pura puta perfectio. 3. *Nihil potest velle Deus, nisi in quo aliqua ratione posset ostendere attributa bonitatis, potentiæ, sapientiæ suæ. At in malo qua tali nulla ratione bonitas, potentia, sapientia Dei & similia attributa possunt manifestari, ob rationem jam indicatam.* 4. *Quod non potest esse objectum potentiæ divinæ, id non potest esse objectum hujus voluntatis divinæ: hæc enim voluntas per potentiam divinam est efficax, sive quod vult, per potentiam effectum reddit. Sed malum qua malum non potest esse objectum potentiæ divinæ, quia in mero defectu situm est.* 5. *Si Deus posset dici peccatum velle, posset etiam dici causa & author peccati. Sed hoc posterius prorsus est absurdum, imò & blasphemum. Majoris consequentia plana est. Quia quod quis velle potest, id etiam potest efficere, si potentia adsit.*

Notamus I. quod de eo adhuc sit vehemens disputatio, *an malitia actus moralis, quâ malitia est, nihil sit præter defectum & privationem conformitatis cum lege?* si præsertim *de ratione morali* agitetur quæstio. Sed nos hic illam scholasticam controversiam nolumus tangere, quam copiosè & salebrosè tractarunt Scholastici, G. Vasquez *in* 1. 2. *disput.* 95. Cumelius *in* 1. 2. *q.* 71. *a.* 7. *disp.* 7. Bellarm. *lib.* 2. *de pecc. c.* 5. & 18. Gregor. Val. *T.* 3. *disp.* 2, *q.* 13. *punct* 3. & *disp.* 6. *q.* 1. *p.* 1. Azorius *Tom.* 1. *lib.* 4. *c.* 1. *q.* 6. Molina 1. *part. quæst.* 5. *disp. unica.* Tannerus *Tom.* 2. *Theol. Scholast. disp.* 2. *q.* 1 *dub.* 2. §. 7.

Notamus II. actionem, qua actionem, esse objectum voluntatis divinæ, neminem quidem negare debere: neminem tamen etiam affirmare debere, quod actio mala, qua actio est, sit à prædeterminante & præmovente DEO, seu sit voluntatis divinæ præinfluentis & prædeterminantis objectum. Aut enim Deus prædeterminavit potentiam rationalem ad eliciendum actum illum, cui malitia moralis inest, ut substerneretur ordini divino, & formale à virtute & lege diuina, rectaque ratione acciperet; aut prædeterminavit & præmovit ad ipsum illud formale malitiæ moralis habendum. Si illud, Deus frustratur prædeterminando & præmovendo suo fine, quod Maccovio supra absurdum visum est. Si hoc, ergò Deus prædeterminat & præmovet ad peccandum. E. malitia ipsa est obiectum voluntatis divinæ, quod, Triglandi, tibi quoque absurdum. Itaque actio, quæ malitia morali deformatur,

matur, non est tale objectum, ad quod à voluntate divina prædeterminari & præmoveri queat aut debeat voluntas humana. Notamus III. rationes, quibus malitiam moralem, ut sic, non esse objectum voluntatis divinæ probas, esse eas ipsas, quibus Antecessores nostri horribile dogma semper impugnarunt, Deum scil. voluntate æterna, & antecedente ejus absoluto decreto non solum ad damnationem, sed etiam ad causas damnationis multo maximã partem generis humani reprobasse, creasse, ordinasse. Si enim hoc verum est, ergò non tantum actio est objectum voluntatis divinæ in ista prædetermination̄e, sed etiã ipsa deformitas actioni inhærens. Nam actio ratione suæ entitatis physicæ considerata non est ordinabilis ad finem aliquem divinum. E. ratione moralitatis etiam objicitur voluntati ad istum finem ordinanti. Quia igitur antecedenter sese habet illa voluntas decernens reprobationem hujus vel illius hominis ad prævisionem omnis actus mali, utique jam actus mali, qui qua mali voluntati isti decernenti per se subordinantur, etiam qua mali voluntatis istius objectum sunt. Si autem rationes, Triglandi, tuæ obtinere debent, ergò non potest Deus velle patefactionem justitiæ suæ & ex ea redundantem gloriam per reprobationem absolutam sine prævisione peccati. Quia sic patefactionem justitiæ vellet Deus in vindicatione peccatorum procurare sub necessaria prædetermination̄e hominum ad malum, & sic cum volitione mali, qua malum est. Rursus non potest Deus velle reprobationem absolutam. Illa enim nullam planè analogiam cum natura divina habet, sed eidem multis modis repugnat. Adhæc si nihil potest velle Deus, nisi in quo aliqua ratione possit ostendere attributa bonitatis, sapientiæ & potentiæ suæ, non potest sanè velle reprobationem sine merito antegrediente. Quæ enim in ea elucet bonitas? Imò quicquid bonitatis in creaturam contulit Deus, illa ad exitium creaturæ inevitabile vertit. Quæ potentia excellit, quæ tota ad creaturæ absolutum interitum tendit? Quæ sapientia in ea patet, quæ tota sapientiæ æternæ rationes contra creaturam ordinat?

§. 8. *De peccato omissionis*

Notamus IV. nondum expeditam esse rationem, quid sit de voluntate Dei *circa peccatum omissionis* sentiendum. Ibi enim purus

purus putus defectus est, nullus actus. Licet enim interdum in actu aliquo continuatio omissa peccatum omissionis efficiat, tamen peccatum omissionis non necessario habet actum positivum sibi substratum, à creatura rationali promanantem. Nec enim ipsa omissio, ut sic, nec ratio voluntarij ad omissionis peccatum requisita actum formaliter includit: quandoquidem voluntarium non solum dicitur, quod est directè & positivè volitum, vel causatum à voluntate, sed etiam quod indirectè & interpretativè ac virtualiter; hoc ipso, quod in nostra potestate est, ut id ipsum fiat, vel non fiat; seu quod nostra voluntas potuit & debuit quippiam cavere, exercendo actum debitum, & non fecit. Loquimur autem de actu substrato. Quod verò ad causas atque occasiones omittendi attinet, etiamsi videatur eatenus peccato omissionis connexus esse aliquis actus, quia moraliter loquendo, qui omittit actum præceptum, aut expressam habet voluntatem omittendi, aut saltem vult facere aliquid aliud, quod cum executione præcepti est incompossibile, primum tamen ille actus non substernitur nec formaliter includitur peccato omissionis: deinde absolutè & simpliciter loquendo rectius dicitur, peccatum omissionis aliquod posse esse sine omni actu morali aut vitioso, qui ipsam etiam peccati rationem participet. Fieri enim potest, ut obligatus ad executionem præcepti, nec positivè velit omittere actum præceptum, nec etiam ex affectu inordinato ad alium actum omittat, nec alias per actum aliquem impotentem se reddat ad operationem, sed merè negativè se habeat, tàm ad omissionem, quam ad actum præceptum, quandoquidem hæc non sunt contradictoriè opposita, positivè velle & positivè nolle actum præceptum, neq; aliunde ostendi potest ulla implicatio contradictionis. Si quæratur, an peccatum omissionis possit esse sine omni actu cum executione præcepti incompossibili, dicimus, etiamsi ut plurimum hominum intricatio & implicatio in actus executioni & observantiæ mandatorum divinorum incompossibiles omissionis causa sit, eam tamen non necessariò in quovis peccato omissionis intervenire; potest enim fieri, ut quis, ex. gr. rationes amandi Deum in utramque partem cogitans, ac proinde nullum actum intellectus seu cujus-

quo modo objiciatur Voluntati Dei.

cujusvis alterius potentiæ, incompossibilem cum executione præcepti exercens, adhuc tamen non eliciat actum amoris. Quanquam in omissione actuum debitorum externorum, nunquam dari possit casus, in quo cum ipsa non concurrat aliquis actus, saltem quoad circumstantiam incompossibilis cum executione præcepti. *De qua re in theologia morali uberius disputatur.* Quando ergò voluntas Dei circa actum aliquem ab hominibus eliciendum & præstabilem ab æterno versata est, & eum omittendum esse decrevit, voluit omninò peccatum omissionis; non utique respectu positivi actus illi substrati, qui nullus est, sed ratione ipsius malitiæ, & deformitatis, quæ in omissione voluntatis divinæ præcipientis versatur. Supponimus, Deum voluisse omissionem ex absoluto decreto. Nam si ex prævisione & scientia omissionis jam ab homine futuræ decrevit eam permittere, jam voluntas Dei non circa omissionem objectivè versata est, sed circa permissionem omissionis. At decretum divinum juxta vestros Theologos non est ordinatum ad scientiam futuritionis, ut ajunt, istius omissionis, sed potius scientia illa ex hoc decreto pendet. Non enim juxta illos decretum de omissione hujus vel illius actus debiti in hominibus permittenda factum est, quia prævidit Deus, etiam positis sufficientibus auxiliis omissionem futuram, sed potius omissio infallibiliter & prævisa fuit & futura est, quia Deus absoluto decreto ordinavit & sanxit.

§. 9. *An Deus simpliciter nolit hominem plus boni facere, quam facit, & plus mali omittere, quam omittit?*

Hinc monstrosa propositio, *Deum simpliciter nolle, ut homo plus boni faciat, quam facit, & plus mali omittat, quam omittit, ac ut utrumque sic fiat, ab æterno præcisè decrevisse. Quam latè ex testimoniis vestrorum probatam dederunt Remonstrantes in Belgio defens. art. 3. & 4. p. 36. in Actis Synod.* Sed MACCOVIUS vester *in Colleg. Theol. Miscell. quæst. disp. 2. p. 410.* latè tuetur & existimat, *nisi ita statuatur, necessario consecuturum, ut aliquid fiat independenter à divina voluntate.* Quod quam ineptè asseratur, supra jam indicatum. Etiamsi enim asseratur, potuisse inter homines ex voluntate Dei benefica universali concurrente & intra certos terminos sua dispensante auxilia plus boni fieri, quam factum reapse est, nihil tamen divinæ potentiæ, à qua pendent omnia, subtrahitur. Nec enim per independentiam voluntatis humanæ illam

factum,

factum, quæ in Metaphysicis delineatur & ad summam Dei majestatem pertinet, ut in quibusdam hominibus non illud emerserit bonum, quod Deus definita τάξει ipsis destinauerat, sed per independentiam moralẽ, quam tum inadvertentiam; tum malitiosam repugnantiam vocamus, qua noluit, in media dependentia à Deo, conformare se superiori regimini, sed defecit. Hoc *deficere* à Deo esse & id Deum velle, tuæ rationes, Triglandi, non permittunt, quia malum est, quia nec bonitati, nec sapientiæ, nec justitiæ Dei analogum, quia nec naturæ Dei aliquo modo conforme, quia non est potentiæ, quia sic Deus esset autor & causa defectionis. Subjicit Maccovius miram ratiocinationem. *Si*, inquit, *potest plus boni homo facere, quam facit, & plus mali omittere, quam omittit; idque quod Deus nihil de eo decreverit: Ergò sequetur, nec de eo quicquam statuisse Deum, an esset aliquid boni facturus, nec ne? an mali omissurus, nec ne? Nam ut illa consistere non possunt cum decreto Dei, ita nec hæc. Par enim utrorumque ratio est.* Pergit Maccovius: *ac si ipsorum dogmata spectes, facile sunt hæc concessuri adversarij, imò contestantur hanc suam esse doctrinam. Nam ajunt, si decretum esset Dei de actibus hominis liberis, actus isti liberi non essent liberi: cum necessitas stare non possit cum libertate.* Quis tolerabit calumniam? Nos, qui omnino sentimus cum S. literis, plus potuisse hominem boni facere, supposito concursu & auxiliis Dei, quam fecit, & plus mali omittere, quam omittitur, nihilominus existimamus, Deum decretũ de actibus hominis liberis fecisse, quod tum ea, quæ ante determinationẽ arbitrij; tum quæ in determinatione, tum ea deniq; quæ post determinationem considerandæ, concernit, quod in materia de gratia latius sumus exposituri. Quomodo ergo ab homine ad Deum transit Maccovius, & argutatur, quia antecedenter de prædeterminatione absoluta hominum ad certos & inevitabiles actus decretum fecisse Deum pernegamus, pariter nec Deum de suis actibus aliquid ab æterno determinasse? Equidem necessitas à superiori imposita & determinans irresistibiliter potentiam ad unum sive faciendum, sive omittendum repugnat libertati potentiæ. Determinatio autẽ ipsa ex intima potentiæ perfectione resultans non repugnat libertati potentiæ. Et quia non est successioni obnoxium primum Ens, summus Deus,

libertas ſumma cum decretis in ſimpliciſſima & indiviſibili æternitate perfectiſſimè una conſiſtunt. Imò de perfectione ſummi entis eſt ordinatè ſimul in æternitate ex ſumma libertate decreviſſe de omnibus finitæ durationi ſubjiciendis. Ordo decretorum & æternitas nullatenus repugnant.

§ 10. *Locus 1. Reg 12. §. 15. explicatur.*

Producit Maccovius præter dicta Act. 2, 23. & c. 4, 27. 28. quæ ſupra jam expendimus, locum 1. Reg. 12, 15. ex quo probat, *quod Rechabeam non auſcultaverit populo, id non LIBERE feciſſe.* Dan. Chamier *in Panſtrat. Cathol. Tom. 2. lib. 3. c. 6. n. 29. Textus Hebræus*, inquit, *longè eſt* ἐμπαπώτερος, *vulgato Latino interprete, qui habet, quoniam averſatus eum fuerat Dominus*, כי הוסה סבה עסה יתוה *Iunius reddit*: Erat enim cauſa à Jehova, ut præſtaret verbum ſuum, quod locutus fuerat per Achiam Silonitem Jerobham filium Nebath. *Pagninus*: Fuit enim cauſa à Jehova. *Münſterus*, Quoniam fuit ordinatio Dei. *Nam* סבה *ſive* נסבה *vt habetur 2. Paral. 10. eſt Hebræis* cauſa *ſive* occaſio. *Leo Iudæ.* Quoniam fuit revolutio à Domino. *Senſu non abſimili. Sed Chaldæus interpres ſeverior*: quoniam erat מלנתם contradictio à Domino, *h. e. ea contradictio Roboami procedebat à Domino. Itaque* Vatablus *in majoribus annotationibus*, proveniebat cauſa à Jehova, autore Jehova, atque ita volente fiebat. Sic Chamier. Nobis non interpretes, ſed ſcriptura ipſa regulam ſubminiſtrant judicandi. Non dicit textus ſacer, quod voluntas Rehabeami fuerit divinitus prædeterminata & gubernata ad hoc durum reſponſum, ex tyrannide præconcepta profectum. Ratio potius redditur permiſſæ illius contradictionis inter Regem & populum, quem non ſemel in Regum ſuorum exquiſitiſſimam obſervantiam Deus animaverat. Nimirum ſuberat aliquid, quod ad vindictam erga eundem populum exercendam Deum ſuſcitaverat, de quo 1. Reg. 11, 23. idololatria ſc. qua ſe commaculavit populus inſano conſilio. Illa objecta ſemper vindici Dei oculo, ubi inſuper occaſionem vindicandi ſuggeſſit, ut in hac concertatione factum eſt, jam præſentem ſenſit pœnam, & patefecit populum irrumpentibus calamitatibus. Sic igitur textus ſacer intelligendus. Æquiſſimum erat ex re ipſa, ut onera populo Iſraëlitico remitteret Rehabea-

habeamus. Quamquam meruerit populus, si antegressa peccata intueamur, etiam hoc onus, fueritq; actionis iniquæ justa passio. Populus, parum cogitans de fundamento atque origine pœnarum onerumque, inhiabat præsentibus rebus & molestiis illis liberari voluit. Miscuit se consiliis populi Jerobeamus prompti in turbas atque dissidia animi vir, & quum Achiæ Silonitæ colloquium contra Rehabeamum audacem fecerat. Poterat Rehabeamus indulgere populo æstuanti & novationis consilia haud obscurè ostentanti, nisi remitteret aliquid de impositis oneribus Rex. Atque hic opus erat benedictione & cœlesti moderatione consiliorum, quæ ab animis utrinque exulceratis, si sibi relinquantur, nunquam ad salutem regni salubria sperari poterant. Cæterum iratus Deus, & jamdudum translationem decem tribuum sub jurisdictione suam Jeroboamo ea de causa pollicitus, subtraxit istam gratiam, quæ mitigaret animos, molliret consilia & conciliaret dissidia. Unde factum, ut Rehabeamus, non libertate sua à prædeterminante Deo destitutus, sed suæ potius libertati relictus, orbatus autem eo lumine, quo in pericula imminentia introspicere posset, & majestatis ostentationi intentus, non auscultaverit populo. Erat enim causa justissimi Dei vindicta, quam jam olim minatus fuerat, cur maledictione ista ex subtractione gratiæ oriunda regnum affligeretur. Sed & סבה non *causa*, sed *occasio* vertitur, ut ipse Chamier non diffitetur. Sic Diodati *in transl. Ital Percioche questa occasione era dal Signore, per adimpiere la sua parola, la quale egli havera pronunciata per Ahia Silonita à Ierobam figliuolo di Nebath.* Ita occasione altercantium subditorum cum Rege usus Deus ad executionem latæ contra idololatricum populum sententiæ tetendit. Geneuenses *translat. de anno* 1588. *per viam & modum* reddunt. *Car ce moyen estoit de par l'eternel pour ratifier sa parole, qu'il avoit prononcée par le ministere d'Ahia Silonite à Ieroboam fils de Nebath.* Denique si כי hoc loco non causalem, sed conclusivam conjunctionem dixerimus, perspicuum maximopere fiet, quomodo ad voluntatem Dei consequentem ista verba pertineant. Sic enim verba sonabunt: *Igitur occasio sive causa erat à Domino ista negativa responsio Ieroboami accepta, ut præstaret verbum suum &c.* Q. d. Non opus fuit, ut Deus expresso mandato Re-

to Rehabeami jurisdictioni eximeret decem tribus. Responsum datum Regis occasionem Deo suggessit in effectum deducendi, quod per Ahiam prædixerat. Sic igitur epicrisi & illatione prophetica ostendit divinus scriptor, quomodo Domino in manus inciderit Rehabeamus & ei suppeditaverit occasionem subtrahendi ab obœdientia ipsius decem tribus. Nusquam autem hoc indicatur, non potuisse melius respondere Rehabeamum. כי autem notare aliquoties idem, quod *igitur, ideò, idcircò*, testatur Buxtorfius vester *in Lexico p.* 354. & Vorstius atque Alstedius allegante Sixtino ab Amama *gramm. Hebr. p.* 228. loca, quæ adducuntur, sunt *Gen.* 22, 47. 1. *Sam.* 2, 25. *Psal.* 118, 10. *Ier.* 4, 18. *&c.*

§ 11. Pergit tumultuari *Maccovius*, & ait: *Ergo actus liberi non determinati à Deo, quia liberi: 2. nec actus liberi, boni scil. quales sunt hic, facere bonum & omittere malum, sunt à Deo. Voluntas ergo dum facit bonum, omittit malum, hoc non debet acceptum ferre Deo, erit ergo independens in faciendo bono & omittendo malo.* Qualis est hæc αὐτεξουσία? Maccovius est independens à statu controversiæ. Actus bonos præstitos & malos omissos omnino acceptum ferimus Deo, sed non absolutè prædeterminanti & irresistibiliter præmoventi. Id verò etiam asseveramus, nos plures acceptos ferre Deo posse, nisi inadvertentia & malitia auxilia divina spernere-mus. Nec hoc dicta, quæ adducit Maccovius, *è Psal.* 119. *v.* 33. 34. 35, 36. 37. *Ez.* 36, 26 *Phil.* 2, 13. *Ier.* 38, 15. *Cant.* 1, 4. evertunt, quæ omnia bona & cumprimis spiritualia à Deo derivant, sed non per irresistibilem determinationem, ut alibi explicabimus. Sed Maccovius nos urget: *si voluntas nostra non dependet à Deo, (addamus necessariò) in faciendo bono & omittendo malo, tolletur certè usus precum earum, quibus Deum oramus, ut flectat voluntatem nostram, neve nos patiatur induci in tentationem. Nam si voluntas nostra necessariò non dependet à Deo in volendo bono, si non in faciendo bono, omittendo malo, eò quod Deus voluntatem non flectat, non determinet, quorsum Deum attinet id orare? Imò an non impium est id rogare Deum, quod certò scimus Deum nolle facere, minimeq; consentaneum esse aut decere, ut faciat. Imò & istæ preces erunt de nihilo, quas fundimus ad Deum, ut aliorum voluntates flectat & in nos aut nostros pronos faciat. Augustinus quantum abhorruerit ab hoc dogmate adversariorum, voluntatem nempe in acti-*

in actibus ſuis non dependere à Deo, cum multa teſtantur, tum illud inter alia, quod dicat alibi, Adamum, qui divinitus acceperat poſſe, ut vellet, non accepiſſe velle, quod poſſet, ideoque ſtare in integritate non potuiſſe, quod hoc poſterius non haberet. Atqui iſta extra oleas vagantur & idcirco urgere nequeunt. Dependentiam non negamus. Modum dependentiæ, qui inevitabili neceſſitate cauſas ſecundas ſibi ſubigat, refutamus. Cum hac ſtare preces nequeunt. Quomodò enim precaberis id, quod neſcis abſoluta ne voluntate tibi decretum ſit? Preces nituntur promiſſione dedando. Niſi dicas, eadem irrefragibili neceſſitate nos ad ipſas quoque preces urgeri, nec plus precum effundere ad Deum poſſe, quam effundimus, nec plus precum omittere poſſe, quam omittimus. Adamum Velle à divina manu non accepiſſe, verum eſt. Fuiſſet ſanè Deus, qui volendi potentiam dedit, ad ipſum uſque velle dandum eliciendumque directurus Adamum & deducturus, niſi repugnaſſet. Non ergò ad nolle determinavit.

Maccovius porrò ita argumentatur, *Si Deus nihil ſtatuit de actibus liberis voluntariis, tum ſequitur, Deum illos actus noſſe, quia ſunt, non verò iſtos actus fieri, quia Deus, ut fierent, decrevit. At hoc admiſſo ſequuntur complura abſurda: Nam 1. res erunt menſura intellectus & ſcientiæ divinæ; non verò intellectus & ſcientia divina menſura rerum. Hinc porro, dependebit intellectus & ſcientia divina à rebus, non res ab intellectu & ſcientia, ſcientia; inquam, practica. Porrò hinc ſequetur, Deum neſcire actus iſtos, antequam fiant. Hoc eſt, quod Socinus ſtatuit, Deum neſcire contingentia futura: præterea perfici intellectum divinum, ut qui de potentia promoveatur in actum; potuit enim ſcire actus liberos voluntatis, antequam fierent, poſtquam facti, cœpit illos actu ſcire: tùm mutari intellectum divinum, atque adeò Deum ipſum. Talium ferax eſt conſectariorum doctrina adverſariorum, qui ſtatuunt, Deum nihil decreviſſe de actibus liberis voluntatis noſtræ.* Sed hæc argumentatio *primò* non feritid, quod ferire debet. Debet confellere ſententiam, quæ ſtatuit, *Deum non antecedanea quadam determinatione & motione ita influere in voluntates hominum, ut inevitabili neceſſitate aliter agere non poſſint, ſed abſolutè loquendo de actibus liberis ita ad eoſdem concurrere, ut nullam tamen ipſis actibus neceſſitatem motione ſua adferat.* Cum Dei voluntas & providentia tantæ ſit §. 12.

efficacitatis, tantaque virtutis, ut licet ei nulla potentia & libertas creata resistere possit, si absolutè agere velit, omnes tamen causas, quibus cooperatur suaviter moveat, & juxta cujusque naturam, aut necessariò aut liberè ad operandum agitet. Non enim solum operatur, quod vult, sed modum etiam quem vult in cooperando tenet, & per varias causas varios quoque effectus producit. Hanc sententiam non attingit ista argumentatio. Nos enim omnino statuimus, Deum aliquid statuisse de actibus liberis voluntariis. Statuit nimirum, quos velit permittere, quorsum dirigere, quatenus extendere.

§. 13. *Deinde* etiamsi non intrinsecè determinet potentiam liberam ex antecedenti decreto, tamen scientia Dei manet infallibilis etiam in aliquo respectu ad decretum divinum. Equidem ex infinitate ut essentiæ ita etiam scientiæ divinæ fit, quod Deus omnia novit, etiam quæ ipsum pro causa habere nequeunt. Neque incomprehensibilem illam intelligendi perfectionem in abysso æternitatis quicquam latere potest, quod undecunque emergere potest. Sed & summa perfectio non solum scit infallibiliter omnem participatam perfectionem, quæ à Deo tanquam prima causa est, verum ex opposito omnem imperfectionem sive in infinitum possibilem & dabilem, sive etiam revera extituram aut existentem. Hoc enim est de infinita perfectione summi entis, non solum nolle perfecta, sed & imperfectorum aut imperfectibilium nullam habere ignorantiam. Nihilominus actus liberi mali sive imperfecti aliquem involvunt respectum ad decretum divinum: veruntamen illum non causalem & originalem, sive absolutæ præordinationis, præmotionis & prædeterminationis, sed permissionis. Decrevit enim Deus è causis secundis liberis liberè emersuros actus hos potius permittere & subigere divinæ ptovidentiæ ordinationi, quam alios. Unde infallibiliter constat, qui actus futuri sint, tum quia per se è causis secundis liberis emensuri ex infinitate divinæ scientiæ intelliguntur, tum quia Deus decrevit, non ut fierent, sed permittere fieri.

§. 14. *Quomodo intellectus* *Tertiò* non est mensuratio aliqua, qua res intellectum sive scientiam divinam metiantur, quando eidem objiciuntur in immensi-

mensitate æternitatis, sed potius ad subjectionem & dependentiam earum pertinet, quod nunquam non cum omnibus affectionibus & defectionibus suis subjaceant oculis divinis. Assequuntur enim & vincunt eas sua infinita efficacitate. Per hanc intelligunt omnia, sicut sunt, etiam si aliter esse illa Deus voluerit. Itaq; intellectus divinus non dependet intelligendo à rebus, quia intelligit in seipso & in seipsis omnia perfectissimè. Imò ipsa scientia divina omnia penetrans rerum ipsarum causa est. Unde Augustinus *Tom. III. lib.* 11. *de Trinit. c.* 13. ait: *Deus universas creaturas suas & spirituales & corporales, non quia sunt, ideò novit, sed quia novit, ideò sunt: non enim nescierat, quæ fuerat creaturus. Quia ergo scivit, creavit, non quia creavit, scivit.* Negat nimirum Augustinus, quod scientia Dei pendeat ab existentia rerum, non autem negat, præsciri futuras, quia futuræ sunt. Adstipulatur vetus Scriptor Dionysius *de nom. div. cap.* 7. *p.* 365. *edit. Paris.* cum ait: ὁ γὰρ ἐκ τῶν ὄντων τὰ ὄντα μανθάνων εἶδεν ὁ θεῖος νοῦς, ἀλλ' ἐξ αὐτοῦ καὶ ἐν αὐτῷ καθ' αὑτὸν πάντων εἴδησιν καὶ γνῶσιν καὶ οὐσίαν προέχει καὶ προσωμείληφεν, ὡς κατ' εἰδέαν ἑκάστης ὑπερβάλλων, ἀλλὰ κατὰ μίαν τῆς αὐτοῦ προοχὴν τὰ πάντα εἰδὼς καὶ συνέχων, ὥσπερ καὶ τὸ φῶς κατ' αἰτίαν ἐν ἑαυτῷ πάντων εἴδησιν τῶν σκότους προείληφεν, ἐκ ἄλλοθεν εἰδὼς τὸ σκότος, ἢ ἀπὸ τοῦ φωτός. Ἑαυτῷ δὲν ἡ θεία σοφία γινώσκουσα γινώσκει πάντα ἀΰλως τὰ ὑλικὰ, καὶ ἀμερίστως τὰ μεριστὰ, καὶ τὰ πολλὰ ἑνιαίως αὐτῷ, τῷ ἑνὶ τὰ πάντα, καὶ γινώσκουσα καὶ προάγνωσα. Καὶ γὰρ εἰ κατὰ μίαν αἰτίαν ὁ θεὸς πᾶσι τοῖς οὖσι προβάλλεται, κατὰ πάντων αὐτῶν ἑνικὴν αἰτίαν, ἐστὶ πάντα ὡς ἐξ ἑαυτοῦ ὄντα καὶ ἐν ἑαυτῷ προυφεστικότα, καὶ οὐκ ἐκ τῶν ὄντων λήψεται πρὸς αὐτῶν γνῶσιν, ἀλλὰ τοῖς ἑκάστοις τῆς αὐτῶν καὶ ἄλλοις τῆς ἄλλων γνώσεως ἔσται χορηγός. ἐκ ἄρα ὁ θεὸς ἰδίαν ἔχει πρὸς ἑαυτὸν γνῶσιν, ἑτέραν δὲ πρὸς κοινὴν τὰ ὄντα πάντα συλλαμβάνουσαν. Αὐτὴ γὰρ ἑαυτῷ ἡ πάντων αἰτία γινώσκουσα, ὁλικῶς τὰ ἀπ' αὐτῆς καὶ ὧν ἐστὶν αἰτία ἀγνοήσει. Ταύτην γὰρ ὁ θεὸς τὰ ὄντα γινώσκει, οὐ τῇ ἐπιστήμῃ τῶν ὄντων, ἀλλὰ τῇ ἑαυτοῦ. Joachimus Perionius Benedictinus Cormœriacenus, Henrici Gallorum Regis interpres, ita convertit: *Neque enim ea quæ sunt ex iis quæ sunt discens, novit divina mens, sed ex se & in se per causam, rerum omnium cognitionem, scientiam essentiamque anticipatam & ante comprehensam habet, non quod per speciem singula consideret, sed quod uno causæ complexu omnia sciat, & contineat: quemadmodum etiam lux per causam in se tenebrarum notitiam anticipatam & in-*

divina ſit menſura rerum.

forma-

formatam habet, quod non aliunde quam ex luce tenebras novit. Seipsam ergo noscens divina sapientia novit lumina, sine materia ea quæ ex materia constant, sine divisione ea, quæ dividua sunt, multa conjunctè, dum ipso uno omnia & noscit & procreat. Si enim causa una Deus rebus omnibus statum largitur, eadem etiam causa una omnia, ut à se profecta & in se ante constantia, cognoscet, nec ab iis, quæ sunt, ipsorum notitiam accipiet, sed & singulis sui, & aliis aliorum notitiam impartiet. Non igitur propriam sui notitiam Deus habet, aliam autem quæ communiter ac generaliter ea, quæ sunt, omnia comprehendit. Ipsa enim seipsam omnium causa noscens, nullo prorsus modo ea, quæ à se profecta sunt, & quorum causa est, ignorabit. Hac ergo Deus ea, quæ sunt, noscit, non rerum notitia, sed sui. Hæc Dionysius.

§. 15. Actuum verò liberorum causam esse Deum, qua actus sunt, nemo sanæ mentis negabit. Ita tamen, ut nulla absoluta & inevitabili prædeterminatione istos producat. Neque enim, ut istos infallibiliter sciat, eiusmodi necessitate opus est. Satis est, Deum infallibiliter nosse, si sub hoc aut illo ordine rerum, positis tantis aut tantis auxiliis, concursum suum cum voluntate libera ordinet, ex meditullio libertatis hunc aut illum actum emersurum, & sic decernere quod infallibiliter concursurus sit. Qua verò liberis actibus insidet malitia, Deum causam eorum esse, nemo sanæ mentis affirmabit. Huc spectant SS. Patrum elogia. ORIGENES ad c. 8. Rom. *Non propterea aliquid erit, quia id scit Deus futurum; sed quia futurum est, ideo scitur à Deo, antequam fiat.* HIERONYMUS ad Ezech. c. 2. *Non quia ille ventura cognoscit, necesse est hos facere, quod ille præscivit, sed quod nos propria voluntate sumus facturi, ille novit futurum, quasi Deus.* Item ad Jerem. c. 26, 3. ad verbum forsitan: *Verbum*, inquit, *ambiguum forsitan majestati Domini non potest convenire, sed nostro loquitur affectu, ut liberum homini servetur arbitrium, ne ex præscientia ejus, quasi ex necessitate, vel facere quid, vel non facere cogatur. Non enim ex eo, quod Deus scit futurum aliquid, idcircò futurum est, sed quia futurum est, Deus novit, quasi præsens futurorum. Et tamen sciendum juxta hunc eundem Ieremiam, etsi mala prædixerit Deus & egerit populus pœnitentiam, quod & ipse acturus sit pœnitentiam super his, quæ facere comminatus est. Et si prospera pollicitus fuerit, & egerit populus negligenter, mutet Deus sententiam*

sententiam & pro bonis mala inferat. Cyrillus *Alexandrinus* in Johan. lib. 9. cap. 10. post objectiones de Juda, Sauleque, cur, cum prænosset Deus, istos apostasian facturos, nihilominus summis dignitatibus admoverit? & similes alias propositas, ita disserit: *Illud maximopere considerandum est, quia rationali creaturæ liberam potestatem Creator largitus est, & suæ voluntatis habenas cuique commisit, ut in eo sit, quicquid probaverit, eligere. Qui ergò ad meliora flexi sunt, hi gloriam atque retributionem electioni suæ consentaneam invenient, qui vero improbis cogitationibus seipsos depravarunt, cupiditatum fluctibus ad scelera deducti, non injuria, ut ingrati atque improbi, æternis vexabuntur supplicijs. In hoc statu libertatis dico fuit angelorum natura constituta. Quare qui principium suum servarunt, in gratia confirmati stabilem atque firmam bonorum possident sedem: qui autem principio relicto suo ad pejora delapsi sunt, catenis tenebrarum seipsos adstrinxerunt & perpetuæ damnationi asservantur. Sic & primus homo in paradiso & spiritalibus delitiis ac gloria positus, servasset prima profecto naturæ bona, nisi crimine inobœdientiæ mandata sibi divinitus neglexisset. Sic & Saulem unxit in Regem: fuit enim primò non improbus: cumq; postea solitam sibi probitatem non servaret, non injuria vexabatur. Sic Iudam quoque ipsum elegit & cum XII. collocavit, aptus enim in initio erat, qui ad sequendum Christum eligeretur: verum quoniam postea sensim turpi quæstu victus, Diabolo adhæsit & ad prodendum usque delapsus est, meritò repulsus fuit. Nihil ergo in eum possumus dicere, qui probum elegit, qui si voluisset, non cecidisset, qui poterat totam mentem atque animum suum in charitatem Christi collocare. Nemo autem putet, idcirco, quæ à Prophetis dicta sunt, in exitum venire, ut adimpleatur scriptura. Nam si sic esset, laudari potius, quam vituperari, tanquam scripturarum ministri, nequam homines possent: quippe nec deliquisse omnino viderentur, si coacti fecissent. Nam si adimpleri scripturam necesse esset, illi per quos adimpleretur, nullo crimine profecto tenerentur. Præterea in scripturæ autorem culpa redundare videretur, siquidem, ut adimpleretur scriptura, vi quadam mala commiserint. Sed quis adeo rationis ac mentis inops erit, ut scripturam sancti spiritus petendi causam attulisse homini unquam credere posset. Non ergò ut adimpleatur scriptura, nec ista de causa facta sunt à quibusdam, quæ scriptura prædixit: sed contra: quoniam ita nonnulli facturi sponte erant, idcirco præsciens Spiritus sanctus futura*

prædixit. Cum igitur facta sunt, quæ prædixit, pignus fidei prædictionem habentes, eum jam cognoscimus, de quo ista prædicta fuerunt. Hæc CYRILLUS ex versione Georgii Trapezuntii. JOH. CHRYSOSTOMUS homil. LX. in Matth. οὐχ ἡ πρόῤῥησις Χριστοῦ τὰ σκάνδαλα ἄγει. Απαγε. οὐδὲ ἐπειδὴ προεῖπε, διὰ τοῦτο γίνεται. ἀλλ' ἐπειδὴ πάντως ἔμελλεν ἔσεσθαι, διὰ τοῦτο προεῖπεν. ὡς εἴγε μὴ ἐβούλοντο οἱ φέροντες αὐτὰ πονηρεύεσθαι, οὐδ' ἂν ἦλθον. εἰδὲ μὴ ἔμελλον ἔρχεσθαι, οὐδ' ἂν προερήθη. ἐπειδὴ δὲ ἐκακούργησαν ἐκεῖνοι, καὶ ἀνίατα ἐνόσησαν, ἦλθε καὶ προλέγει τὰ μέλλοντα ἔσεσθαι. Καὶ εἰ διορθώθησαν ἐκεῖνοι, φησὶν, καὶ μηδεὶς ἦν, ὁ τὰ σκάνδαλα κομίζων, οὐκ ἔμελλεν ὁ λόγος οὗτος ψεύδους ἅλισκεσθαι; οὐδαμῶς. οὐδὲ γὰρ ἂν ἐλέχθη, εἰ γὰρ ἔμελλεν διορθοῦσθαι πάντες, οὐκ ἂν εἶπεν, ὅτι ἀνάγκη ἐλθεῖν. Αλλ' ἐπειδὴ προήδει ἀδιορθώτους ἐσομένους οἴκοθεν, διὰ τοῦτο εἶπεν, ὅτι πάντως ἥξουσιν. Hæc ille, quem ita interpretatur Anianus. *Prædictio scandala inducere non putanda est. Non enim, quia futura scandala prædixit, idcirco veniunt, sed quoniam omninò ventura erant, idcirco prædixit; Non enim fierent, si nollent ea excogitare nequam homines atque pestiferi: quod si futura non fuissent, nec ipse ventura prædixisset. Ventura verò erant, quia multi erant graviter & incurabili morbo laborantes, qui noluerunt non agere malignè, & ipse quod futurum erat prædixit. Sed si illi curati fuissent, quispiam dicet, ac nemo esset, qui scandala faceret, non ne hic sermo falsitatis crimine teneretur? Certè si curari sanarique omnes voluissent, non dixisset, necesse est scandala venire. Sed quia sua sponte incurabiles futuros perspiciebat, ideò ventura omnino prædixit.* Omitto plures alios. Sic autem evidenter constat, quomodo res actusque rerum omnes dependeant à Deo, ipsumque etiam malum subsit divino imperio, etiamsi illa limitatio divina antegrediens non concedatur. Constat etiam, quomodo omnia ab omni æternitate sciat Deus, non verò demum, cum fiunt, innotescant. Constat denique, quomodo nunquam à potentia adactum promoveatur intellectus divinus, etiamsi non absolutè, sed ordinatè intelligat omnia & ad ipsos etiam in causis secundis emersuros eventus sese attemperet, quia in ipsa æternitate, infinitaque claritate omnia intuetur invariabili immutabilique actu.

§. 16. *In quo statu homo plus*

MACCOVIUS nondum desinit philosophari & sic disputat: *Accedamus ad ostendendum, indefinitè istos hanc quæstionem proponere:*

nere: *An homo potest plus boni facere, quam facit & omittere mali, quam omittit? Nec enim dum hoc urgent, ostendunt, aut ostendere conantur, de quo statu hoc accipi volunt, aut quousque extendi debeat hac, plus boni homo facere potest, quam facit, aut plus mali omittere, quam omittit: idcirco ratione status, ita contra illos argumentamur. Si plus homo potest boni facere, quam facit, & plus omittere mali, quam omittit. E. si in statu integritatis perstitisset, & plus boni facere potuit, & plus mali omittere. Vtrumque est absurdum. E. Prius absurdum: quia si plus facere potuisset in hoc statu, & non fecisset, peccasset, quia quodcunque potuit, facere debuit. Posterius itidem in idem absurdum incurrit: Nam si quid mali non omisisset, itidem peccasset. Oportet ergò statuatur in statu integritatis, si homo perstitisset, plus non potuisse facere, quam facturus erat. Hoc ipsum accommodari æquè potest statui corrupto ante regenerationem: At quam invita scriptura, quæ docet, quod homo talis nec possit bonum & tantummodò ad malum pronus sit, sive feratur, omni die. Statuendum idem omninò erit secundum adversarios de statu reparationis. Quod scil. in utroque hoc homo potuerit plus boni facere, quam facit, & plus mali omittere, quam omittit. De homine in statu glorificationis non magis hæc verè dici possunt, quam de statu integritatis. Itaque quæ ibi dicta sunt de hoc statu, ad hominem etiam in statu glorificationis accommodari possunt & debent. De homine in statu reparationis an dici possit, videndum est. Vt rectè hæc intelligi possint, sciendum est hic 1. Hominem talem in hac vita imperfectè regenitum, & ut verè dicitur à nostris, si complementum regenerationis spectemus inchoativè Rom. 8, 23 Si ergo quæratur, num homo talis possit plus boni facere, quam facit, (ultra regenerationis modum) & mali omittere, quam omittit, h. e. si quæratur, an ultra vires suas possit plus boni facere, quam facit, & mali omittere, quam omittit? tum quæstio hac homine sano non digna &c. Nam notorium hoc est apud omnes sanos, quod nihil possit agere ultra vires, quas habet. Et hinc Augustinus ad illud 1 Ioh. 3, 6. Quisquis in eo est, non peccat, dicit, non simpliciter non peccat; nam ita Iohannes sibi repugnaret, 1. Ioh. 1, 8. & 9 sed quod non peccet pro modulo regenerationis sibi divinitus concessæ. 2. Data potentia hac imperfecta in homine, quæri potest, an aliquo sensu de hoc dici possit verè plus boni facere, quam facit, & plus mali omittere, quam omittit. Resp. Si non edit facta & opera bona, ad quæ edenda habet potentiam hanc, aut si edat quidem, sed non adæquatè ad potentiam, quam habet, tum in*

boni facere potuerit & possit, quam facit & fecit &c.

hoc casu poterit dici, potuisse plus boni feciſſe, quam fecit, & plus mali omiſiſſe, quam omiſit. Non quidem in ſenſu compoſito, ſed diviſo; hoc eſt, *ſi talis homo in ſe ipſo conſideratur, potuit, id eſt, potentiam habuit in ſe plus boni faciendi, quam fecit, & mali omittendi, quam omiſit. Verbi gr: David committens adulterium & homicidium potuit hæc non admittere, ſi in ipſo potentiam ſpectes: nam qui toto vitæ curſu potentiam habuit, hæc non admittendi, etiam dum laberetur, eandem habuiſſe certum eſt ex eo, quod hæc peccata antea & poſt evitabat. At ſi ſpectes hunc hominem habentem hanc potentiam in ſenſu compoſito, id eſt, ratione decreti divini, ratione providentiæ divinæ actualis, & ratione permiſſionis peccati, tum homo nunquam plus poteſt boni facere, quam facit, & plus mali omittere, quam omittit. Ita ut hoc non poſſe non includat in homine tali negationem potentiæ; nam ad quod potentiam habet, id non facit, (ut in David factum) ſed duntaxat negationem actus. Quemadmodum verbi gratia, cum homo in tenebris dicitur non poſſe videre, non negatur de ipſo potentia videndi, ſed actus videndi. Hoc declarari poteſt exemplo hominis integri: Quæritur de hoc: Anne potuit ſtare in ſtatu integritatis, nec ne? Et reſpondetur, potuit ſtare in ſenſu diviſo, h. e. potentiam habuit ſtandi in ſe, ſed non in ſenſu compoſito, id eſt, ratione decreti divini, ratione providentiæ actualis & permiſſionis divinæ; id eſt; non potuit hac potentia uti in perpetuum, quia Deus contrarium decreverat: decreviſſe autem, certum eſt. Nam qui de lapſu capilli cujuſque ſtatuit apud ſe, de lapſu paſſerculi cujuſque ex nido ſuo, quomodo non ſtatuiſſe cenſendus erit de homine. Certè hic dicere poſſumus, quod Paulus de bobus 1. Cor. 9. in comparatione ad hominem. Num capilli & paſſerculi ſunt curæ Deo? Quid dicam, quod Adamum labi permiſit, h. e. dereliquit. Nam ita ſcripturam nobis permiſſionem peccati deſcribit 2. Chron. c. 31. v. 11. Anne Adam tum ita derelictus ex potentia hac ſtare potuit? non certè, non. Præclarè hac de re Pareus de gratia primi hominis contra Bellarminum: Primus homo præditus, inquit Bellarminus, juſtitia originali, non eguit auxilio ſpeciali, quo excitaretur ad bonum operandum & ad vitanda peccata.* Aſſertio ſuperba, in Deum contumelioſa, falſa. Primum hominem fingit Ajacem quendam, vel Cyclopem Homericum, qui etiam ſine Deo vincere poſſit, h. e. qui ad velle & perficere ſibi ſufficeret: ad perſeverandum Deo non indigeret. Quis hic furor! In Deo vivimus, movemur & ſumus, qui dat omnibus vitam & halitum, non ſolum

solum generali, sed & speciali auxilio. Sine me nihil potestis facere. Joh. 15, 5. Et p. 52. Ait Bell. Adamum caruisse speciali auxilio, nec eguisse. Hoc falsum. Non eguit homo, quod quia non habuit lapsus est? Sic igitur Adversarium constringo. Cujus carentia homo lapsus est, eo quod non indiguerit ad cavendum lapsum dicere insania est. Sana enim ratio dictat, sine quo quis bonum assequi, malum cavere non potest, si non habeat, quod eo indigeat. Ob carentiam specialis gratiæ dirigentis, conservantis bonam hominis voluntatem, homo lapsus est: eam si habuisset, lapsus non esset. E. dicere hominem speciali gratia non indiguisse, ad lapsum cavendum, par est insania, atque dicere, avem pennis non indigere ad volandum. *Sed redeamus ad institutum nostrum: Dicimus ergo, hominem regenitum potentia, quam ex regenerationis dono obtinet, uti non posse aliter, quam Deus decrevit & vult, adeo ut non plus boni efficere possit, (non loquimur de potentia, quam habet, nam ut diximus, sæpè potentiam habet, ad hoc vel illud præstandum; hoc vel illud omittendum, sed ea potentia uti non potest, nisi divinitus moveatur) quam facit, vel mali omittere, quam omittit.* Hactenus Philosophia Maccovij, cui nunc paucis occurrendum est.

§. 18. *Non omnis omissio peccatum.*

Primum ergo illud annotandum est, *non quacunque omissione operis boni peccatum constitui.* Nam homo una vice obligatus est ex lege divina ad omnia bona opera secundum virtutes legemque divinam facienda. Adhæret namque hæc obligatio homini viatori indivisibiliter. Neque tamen quovis momento in exercitio omnium bonorum operum simul versari potest. Ratio in promtu est, quia hominis operationes, cum primis exteriores, non sunt momentaneæ expeditionis, sed successionem amant. Unde manifestum est, non singulis momentis in singulis objectis exercendæ bonitatis & debitæ ergo summum numen obœdientiæ hominem versari posse. Manet ergo, cum decenter in uno subjecto & adæquatè homo versatur, semper obligatio, sed executio sine reatu omitti tum potest respectu alterius objecti, cujus prosecutio cum hoc objecto incompossibilis est. Tunc igitur omissio operis boni peccatum constituit, quando circa objectum ordinatè & debitè tractandum nullum occupatur homo, per circumstantias verò loci & temporis, itemq; objectum ipsum

postulatur ad operandum, sive actualis, sive realis fiat exigentia, & omittit actum, sive per simplicem torporem & ἀκηδίαν, sive per persecutionem objecti incompossibilis cum tractatione ejus, ad quod ipsa obligatio provocat sive alio quocunque modo peccante.

§. 18. SECUNDÒ igitur peccatum omissionis in statu integritatis nullum futurum fuisset, etiamsi asseratur, potuisse & ibi hominem plus boni efficere, quam reipsa præstitisset, si vel maximè in illo statu perseverasset. Nam proposito quocumque objectio ita circa illud versaturus fuisset, ut regula divina postulabat, neque ibi quidem aliquid pro statu viatoris admisisset, quod defectus alicujus notam habuisset. Egisset sc. ex cœlestis auxilij præsentia, sub sinu & oculis Dei, ex luce sapientiæ & justitiæ concreatæ, ex dictamine implantatæ legis, supra omnia avocamenta, quæ perfectam intentionem remorari potuissent. Neq; tamen uno eodemque temporis puncto tractuque circa omnia objecta versari potuisset. Quamvis absolutè loquendo ipsi tum temporis adfuerit potentia & sufficientia auxilia, quibus circa plura objecta plus boni extensivè præstiturus fuisset, si non debuisset ex exigentia rei circa hoc objectum versari. Fuit enim omninò inter objecta homini in statu integritatis commendata & tractanda aliqua disparitas. Omissio ergo majoris boni prosequendi peccati nomine, in statu integritatis considerato homine, dici nequit.

§. 19. TERTIÒ verò illud capere non possumus, quomodo Maccovius argutari ausit, *etiam in statu integritatis valere debere, hominem plus mali omittere posse, quã omisit.* Aut enim considerat hominem, ut persistentem in peccatorum fuga, h.e. in statu integritatis & conditoris legibus, & sic absurdè ad illum refertur, posse plus mali omittere, quam omittit, sive minus mali committere, quam committit. Nam eatenus constitisset in omissione omnis mali simpliciter. De quo autem omissio mali absolutè affirmatur, de eo magis & minus omittere mali dici non potest. Aut considerat ipsum lapsum & excidentiam hominis è statu perfectionis concreatæ. Tum verò non in statu integritatis, durantis sc. requirendum fuerat, ut plus mali omitteret; nam in eo, ut diximus, omne

omne malum omisit. Alias omninò dicendum, potuisse tum, cum exciderat è statu concreato, plus mali omittere, quam omiserat. Potuisset sc. plus dissentire, minus consentire Satanicis tentationibus: potuisset intra alicujus consensus & inclinationis terminos constitisse, non autem ad plenariam comprobationem suggestionum pessimarum procedere, neque consummare prosecutionem affectatæ cum Deo æqualitatis, sive intentæ rapinæ majestatis Dei. Quis enim adegit ad ultimam tristissimi casus audaciam?

Quartò, *de statu corrupto* mirum est, quod Maccovius dicat, necessariò hominem tot bona omittere, quod omittit, tot mala committere, quot committit. Etiamsi enim aliquorum malorum necessitatem sibi attraxerit ex implicatione in miserrimum statum, & deglutito quasi in se peccato originali, unde etiam non potest non multa & innumerabilia bona omittere, quæ est necessitas hypotheseos, non verò primæ causæ & prædeterminationis absolutè decretæ, nihilominus tamen plus boni etiam in illo statu potest homo committere, quam committit, & plus mali omittere; quam reipsa omittit. Sic in civili & extrinseco morali bono differentia est inter Ethnicos etiam & in statu corruptionis consideratos homines. Neque putandum, qui adulteriis, latrociniis, rapinis, perjuriis, idololatriis sese commaculârunt, non potuisse pauciora adulteria, latrocinia, furta, perjuria committere, aut de immanitate idolomaniæ aliquid remittere: Aut eos qui quoad exterius virtutum civilium exercitium hujusque progressi sunt, ulterius progredi non potuisse, sed remitente decreto Dei prædeterminante intra illos terminos substitisse. Et etiamsi homo corruptus non possit facere bonum simpliciter, hoc est, quod Deo placeat, potest tamen respectu civilium operum id præstare, ut in foro exteriori minus malitiæ admixtum habeant. Manet pronitas perpetua ad malum in homine corrupto, absolutè loquendo, & si ad interius forum & tribunal Dei hominis intentionem expendas. Posse tamen aliquem magis in actus externos effundere istam propendentiam, aliquem minus, imò unumquemq; posse minus effundere, quam effundit, quis scripturæ textus negat? §. 20.

Quintò,

§. 21. QUINTÒ, *de ſtatu glorificationis*, ideò non hoc loco aliqua propoſitionis poſtulatæ accõmodatio quærenda, quia eſt ſtatus patriæ, non viæ, ubi in perfectiſſima hominis cum Deo conformitate datur fruitio obœdientiæ in via exercitæ: neque eſt conatus faciendi, ſed fructus gratiæ & facti. Unde fruſtra ibi quæritur de pluris mali omiſſione, aut pluris boni operatione, ubi homo eſt ſupra & extra & ultra omne malum, & omnem boni terminum, faſtigiumque conſecutus eſt.

§. 22. SEXTÒ, *de ſtatu reparationis* illud inprimis notandum, quod ſine ullo effectu ab imperfectione novarum virium, in regeneratione & renovatione nobis conceſſarum divinitus, concludatur ad impotentiam plus boni faciendi, quam reapſe fit & plus mali omittendi, quam reipſa omittitur. Ultra vires donatas nemo agit, poteſt tamen agere intra vires, infra vires, contra vires. Adamus non reſtitit tentationi Satanicæ totis viribus, ſed granditati objecti propoſiti implicitus, virium ſuarum uſum primum neglexit, deinde contra vires peccavit. Unde liquidum eſt, quomodo & in ſtatu reparationis plus boni facere poſſit fidelis, quam facit, & plus mali omittere, quam omittit. Nimirum per ἀναζωπύρησιν τῶν χαρισμάτων, quibus non ſuſcitatis ſubinde & redardeſcentibus ſegnities & languor inoritur, adeoque contentio ad plenitudinem mali exhauriendam, bonique conſummationem impetrandam expirat. Unde μᾶλλον θεωρεῖν 1. *Theſſ.* 4, 1. ζηλῶν τὰ χαρίσματα τὰ κρείττονα 1. *Cor.* 12, 31. πνεύματι ſοιχεῖν *Gal.* 5, 25. &c inter Apoſtolica vota & monita comprehenditur. B. Auguſtinus T. 9, in 1. Joh. 3, 6. tract. 4. nobis non adverſatur. Apoſtolus ait: qui manet in Chriſto, non peccat. Auguſtinus: *In quantum in ipſo manet, in tantum non peccat.* Quo ipſo non negat, in illa ipſa divina ἐμμονὴ & ἐμφυτεύσει in Chriſto non poſſe fieri operationis novæ intenſionem & remiſſionem, adeoque plus boni hominem in Chriſto ἐμμένοντα poſſe facere, quam facit, & plus mali poſſe omittere, quam omittit. Habet ſanè ſpiritualis ἀναχώρησις & ῥίζωσις ſuam intenſionem auctionemque. *Conf. Epheſ.* 3, 18. *Coloſſ.* 2, 7. & *Eſa.* 37, 31. Sic ſemen ἐπὶ τὰ πετρώδη jactum obſtaculum habet profundioris radicationis, alias ſecuturæ, διὰ τὸ μὴ ἔχειν γῆν πολλὴν ſeu βάθος γῆς *Matth.* 13, 5. διὰ τὸ μὴ ἔχειν

B. Auguſtinus vindicatur.

ἔχειν ἰκμάδα Lucæ 8, 6. Quod enim Matthæus dicit v. 6. διὰ τὸ μὴ ἔχειν ῥίζαν, factam esse ad ortum & ustionem solis exarescentiam, συγκαπῶσ intelligendum est. Tribuitur enim semini ἐξανατολὴ, v. 5. E. omninò aliqua ὑμοὺ in ipsa terra. Et homo terræ petrosæ comparatus, dicitur μετὰ χαρᾶς λαμβάνειν τὸν λόγον. v. 20. Luc. 8, 6. σπέρμα hoc vocatur φυὲν. CONR. PELICANUS ad Matth. 13. *Alius est, qui sermonem Evangelicum veluti semen accipit auribus, atque avidè dimittit in animum suum, secum meditando, ut ad illius regulam instituat vitam, sed quoniam non penitùs infigit animi medullis, sed hominum more temporario quodam affectu leviter agit, tantisper fovet semen benedictum, donec in herbam exeat, ac spem quandam præbeat Evangelicæ pietatis, abstinens à magnis vitiis, ac virtutibus mediocribus enitescens. Verùm si quæ ortâ fuerit persecutionum procella, & ob Evangelij professionem intentetur exilium, carcer, supplicia, mors, aliaque, quæ firmum & inconcussum animi robur desiderant, tum velut ad æstum Solis vehementem exarescunt & deficiunt. Hunc typum habebat terra petricosa, semen accipiens quidem ac proferens in herbam, sed adversus solis æstum humore non valens tueri, cum per petras* non liceat altius tendere radices. HENR. BULLINGERUS Comm. h. l. *Secundum genus auditorum in parabola his verbis pinxit: Alia verò ceciderunt &c. Terra petricosa aut saxosa, significat Auditores præmaturos, animos, inquam, præcoces, qui verbum Dei mox atque prædicatur, recipiunt, receptum paulò altius infigunt, miraque alacritate ob veritatem revelatam exultant. Habent enim aliquid terræ, quanquam ea non sit admodum profunda, habent aliquid bonitatis & integritatis, & hactenus quidem exoritur semen, id est, specimínibus aliquot demonstrant, se fidem habere Evangelio & religionem perplacere Evangelicam. Cæterum quando non habent justam fidei & charitatis radicem & vitalem succum, humoremque Sancti Spiritus perennem, temporaria est ipsorum fides & religio, h. e. non perpetuo perseverat, sed ad tempus durat duntaxat. Id consequentibus istis explicatur fusius. Cum inciderit afflictio aut persecutio &c. Id Lucas brevius & significantius his exponit, & hi radices nō habent qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Quemadmodum enim Sol ardore suo segetem arefacit, hærentem modo in superficie terræ & demissis* radicibus non altius terræ infixam, *ita quælibet afflictio, velut morborum, egestatis, aut alterius alicuius calamitatis, inprimis autem gravis*

Luc. Matth. 13, 6. expendetur.

verbis Dei & Sanctorum perſecutio hujuſmodi auditores adurit & à profeſſione ſua dejicit, ut flaccidi nullum amplius virorem Evangelicum in illis vel dictis, vel factis ſuis exhibeant. RUDOLPH. GUALTHERUS hom. 177. in Matth. p. 332. *Sequitur ſecundum genus hominum, qui verbum abſque fructu audiunt, & hi per loca agrorum petricoſa aut lapidoſa adumbrantur, in quibus ſemen mox quidem germinat, ſed quia* radices non poteſt profundius agere, *calore & æſtu aduſtum perit. Eos autem intelligit Dominus, qui natura non hoſtili ſunt erga verbum Dei animo, neque à pietate omninò alieni, quin potius probant, ſi quid bonum & Deo placitum eſſe intelligunt, verum etiam corda habent duriora, neq; exculta adhuc aut emollita cognitione* DEI *vera, ut velint Chriſti jugum ferre, aut propter ejus nomen aliquid perpeti poſſint &c.* Ergò his Helvetiis interpretibus *non habere radicem* eſt *non altius licere tendere radicem, non altius demiſſis radicibus terræ infigi*, radices *non poſſe profundius agere.* Atque hoc non eſſe in decreto divino ſitum, ſed in libera reſidentia actuali, oſtendit Gualtherus, cum remedium huic auditorum generi præſcribit: *Opus*, inquit, *adverſus hoc vitium præſenti remedio, quod Chriſtus apud Lucam cap. 16. in diligenti præmeditatione & præparatione nobis monſtrat, & eos imitari jubet, qui turrim ædificaturi rationem impenſarum ſubducunt, aut bellum geſturi, quid vires ipſorum poſſint, diligenter conſiderant. Vt enim in ædificando ſumtus fere rationes ſuperant, & in bello multa præter opinionem accidunt, ita in fidei negotio fieri ſolet, & tota vita Chriſtiana. Opus ergo præparatione, quæ primũ in vera Chriſti & regni ejus cognitione conſiſtit, ut meminerimus, hoc non eſſe ex hoc mundo, neque illum veniſſe, ut in terris regnaret, aut nos reges hujus ſeculi faceret, ſed ut à peccato & morte redimeret. Habet quidem pietas promiſſiones præſentis & futuri ſeculi, ſed ſolet illas Dominus quoad hanc vitam perſecutionibus condire, ne ſecuritas & otium licentiam pariat. Ita q; in illo non terrena quæramus, ſed cæleſtia, noſq; ad crucem ferendam præparemus &c.* Poſſunt ergò iſtiuſmodi homines petroſitatem per auxilia Spiritus præſentis intervertere, profundius poſſunt radices infigere &c. Si autem ex intentione Dei, per remedia ordinata dabili, poteſt dari profundior ſeminis divini in cordibus humanis ῥίζωσις, poteſt etiam dari prolixior καρποφορία, & ſic plus boni poteſt aliquis operari, quam reipſa operatur, & plus mali omittere, quã reipſa omittit.

SEPTI-

Septimò verò perpendendum est, quo sensu concedat Maccovius, *hominem posse plus boni facere, quam facit, & plus mali omittere, quam omittit.* Dicit *in sensu diviso* id fieri & concedi posse: sc. si talis homo in seipso consideretur, illum potentiam habere in se plus boni faciendi, quam facit, & plus mali omittendi, quam omittit: non autem in sensu composito, ratione decreti divini & providentiæ divinæ actualis. At illa potentia homini data est in decreto divino, vel ante determinationem absolutam, decernentem homini tantum operationis bonæ tantumque malæ, aut post illud decretum æternum absolutæ prædeterminationis. Si post, frustra & contra infinitæ sapientiæ rationes data est illi potentia, qua nunquam uteretur obstante prædeterminatione. Si ante, ergo intentio divina fuit de ampliori usu, nec absoluta fuit ad unum & tantum duntaxat prædeterminatio. Sed enim sensus Maccovij est, potuisse Deum hominem ad plura bona facienda determinare, quam determinavit, & ad plura mala omittenda, quam omisit. Sic igitur revera homo, qui sine concursu divino operari nihil potest, nullo concursu divino coordinato, potentiam sibi datâ vi causæ primæ implente, non potuit plus boni facere, quam revera facit, & plus mali omittere, quam omittit. Hoc est, Deus nullo suo decreto ordinavit dare concursum suum hominibus ad illas actiones faciendas, ad quas vires dedit, & de quibus leges sanxit, & ad illas omittendas, contra quas viribus instruxit & interdictis pugnavit. Itaque ipse Deus executionis in faciendo & omittendo ordinem antecedenter destituit. Quomodo ergo hominem ad observandum illum ordinem obligabit? aut qua ratione puniet hominem adeò graviter, ob executionem faciendi omittendique non secutam? Si Deus antecedenter deserit, non post prævisionem desertionis humanæ, suppositis omnibus ad desertionem non faciendâ sufficientibus sive mediis, sive auxiliis, in principiis actionũ erupuræ, tum non potest punire deserentem, quia est absolutè ad deserendum prædeterminatus. Sumamus exemplum adulterantis Davidis & homicidium machinantis. Habuit is potentiam non admittendi adulterium vel homicidium. Et quidem, quam toto vitæ cursu habuit, etiam tum, cum laberetur, habuit, uti Maccovius ait. Quæro an

§. 25. *An etiam in sensu cõposito possit homo plus boni facere, quam facit &c?*

eo divino decreto, quo primum ipsi ista potentia data, deinde conservata fuit, etiam tum ista potentia non admittendi istæc facinora isti conservata fuerit. Si ait Maccovius; Ergo intentio divina fuit, ut ista potentia etiam tum, cum ad adulterium tentaretur David, uteretur ad expellenda tentationis spicula. E. etiam concursus divinus dispensandus fuerat ad intentionis divinæ executionem. E. decretum de istâ dispensatione fuit. Ergo non decretū de desertione Davidis anterius fuit ipsa determinatione & motione voluntatis Davidicæ ad adulterium & homicidium. Itaq; potuit ex concursu & præsentia adjutrice Dei David etiam tum, cum movit se ad illa scelera, deseruitq; Deum, non deserere. Atqui per Maccovium intentio concurrendi, ad evitationem illorum à Davide obtinendam, apud Deum non fuit. Dicet ergo; potentiam divinam eo decreto eaque intentione in Davide non fuisse conservatam, qua initio data & per reliquum vitæ tempus tum antecedens, tum consequens conservata fuit. Quomodo igitur habuit, aut quo fine conservata fuit? an ut haberet non ingruente & urgente tentatione de adulterio, deq; homicidio; invadentibus verò concupiscentiis aut non haberet, aut per obstaculum supremi decreti non posset in actum deducere? Quomodo hoc cum optimi maximi numinis sapientissima œconomia conciliabimus?

§. 24. *Etiam supposito decreto divino hominē plus boni posse facere, quam facit, & plus mali omittere, quam omittit.*

Itaque nisi velit Maccovius illis implicari difficultatibus, asserendum est, etiam in sensu composito hominem plus boni posse facere, quam facit, & plus mali omittere, quam omittit, neque tantum ipsi relinqui potentiam innatam aut infusam, sed etiam potentiam divinam concurrentem, ex antecedaneo decreto divino ordinatam, quam ipse homo malitiosa ad actionis deordinationem & vitiationem deflexione deserit, unde vicissim deseritur. Sic ordo rerum gerendarum, cui præcepta & promissa Deus annexuit, ex parte Dei semper manet inviolabilis, nec ante convellitur, quam ab ipso homine convellatur. Sed compositus sensus non ille est hoc loco constituendus, quem Maccovius hoc loco sibi imaginatur, ubi compositio fit inter voluntatis humanæ potentiam & decretum voluntatis divinæ consequentis, quod facit Deus post prævisionem voluntatis

tatis humanæ, ordinem divinum, & in eo decretum exhibitumque concursum divinum ordini consentaneum vel respuentis, vel non respuentis; ubi decernit, quid facere aut permittere velit in respuente auxilia divina, vel quid in non respuente præstare velit. Hæc enim compositio consequenter sese habet ad potentiæ rationalis actus aut omissiones, non verò antecedenter in eosdem influit, aut eosdem determinat. Sic in conversione & eductione hominis è potestate tenebrarum ad lucem gratiæ cœlestis primum compositio quasi quædam fit inter intellectum merè tenebricosum & cœcum, nihilq; in se continentem virium ac facultatis ad supernaturalia atque spiritualia intelligendum, & inter Deum gratiosè præsentem viresque intellectui communicantem sufficientes ad ambulandum per loca caliginosa & capiendum æterna & divina bona. Et sic de voluntate hominis componenda quasi cum divina voluntate dicendum. Ubi se merè passivè intellectus & voluntas hominis habet, nec se ipsum determinat, sed à Deo, licet non irresistibiliter, determinatur ad lucem & justitiam complectendam. Istam compositionem, ut sic loquar, & unionem, antecedente divina voluntate in efficaciam deducta obtentam, sequitur voluntas de danda gratia perseverantiæ. Si verò ejusmodi quasi compositio quædam intenta sit quidem à Deo & positis his omnibus concursus gratiosi mediis tentata, non verò obtenta, sed dissipata, ibi quidem cum actu renitentiæ, & dissipationis concurrebat Deus præsentando ordinem mediorum gratiæ, & sub ipsa præsentatione ortum, divinitus etiam prævisum & providentiæ divinæ legibus subjicibilem, permisit actum; cæterum in æterna omniscientiæ specula consequenti voluntate decretum de actu illo terminando, & ordinando fecit; decreto igitur illi conformiter nunc actum illum terminat & ordinat; restringitque, ut providentiæ divinæ ille etiam subservire necesse habeat. Ubi jam alia compositio illi gratiosæ & internæ divinitus omninò dissimilis Exemplum de homine in tenebris posito, qui dicendus sit non posse videre, cum non potentia tamen, sed actus videndi de ipso negatur, non incommodè ad explicationem hujus negotij usurpare possumus. Qui suo vitio suaque pertinacia in tenebris sedet, etiamsi absolu-

tè & in ſenſu diviſo videre poſſit, quatenus tamen ſuo vitio ſuaque pertinacia in tenebris ſedet, videre non poteſt, quia à perſpicuo, per quod ad ipſum viſibilia deferantur, ſeſe ſubducit. Qui verò potentia videndi præditus, ſed per tyrannidem in tenebris captivus detinetur & à luce ſevero quodam decreto arcetur, is ſua culpa non poteſt dici non poſſe videre, cum omnis iſta intermiſſæ viſionis cauſa in decretum ſeverum violenti detentoris ſit referendum. Sed ſi Deus homini potentiam videndi donaſſet, poſtea lucem nullam creaſſet, aut aliud quicquam, quo lux medio inferri poſſet, tunc ſanè & fruſtra ipſi homini potentiam illam contuliſſet, nec ab ipſo actum videndi poſtulare potuiſſet, & in ipſum tota cauſa intermiſſæ viſionis redundaſſet. Dum vos conceditis, Deum homini potentiam ad operandum plus boni, quam operatur, & omittendum plus mali, quam omittit, conceſſiſſe, qua abſolutè actus iſtos elicere, vel non elicere poſſet, nihilo tamen minus impoſuiſſe decretum ipſi potentiæ, quo ſubjugata illa non poſſit ulteriores aliquos morales actus vel edere, vel omittere, nonne Deum ſimilem facitis tyranno, qui potentia ſpirituali videndi & operandi cœleſtia intellectus & voluntatis prædituм, in tenebris & vinculis detinet, & abuſura cœleſtis lucis ſevero quodam decreto arcet? Nonne hoc modo Deus, dum potentiam donat, uſum autem abſoluto decreto intercidit & prohibet, perinde agere diceretur, quam ſi creaſſet potentiam videndi, nullum autem videndi medium dediſſet? Siccine verò Deus non tantum immiſcetur culpæ intermiſſæ viſionis, ſed etiam totam in ſe transfert, quod aſſeverare impium.

§. 25. *An Adamus ratione decreti divini ſtare potuerit?*

Quærit, quod OCTAVO loco expendendum, Maccovius de primo homine, *An potuerit ſtare in ſtatu integritatis, nec ne?* Ait *ratione decreti divini, providentiæ divinæ & actualis permiſſionis non potuiſſe ſtare: non potuiſſe hac potentia uti in perpetuum, quia Deus contrarium decreverat.* Atqui nullum decretum divinum labendi neceſſitatem ullo modo impoſuit Adamo. Non decrevit Deus, ut laberetur. Non decrevit Deus, ne poſſet potentia ſua, qua ſtare poterat, in perpetuum uti. Decretum divinum antecedens fuit, condere Adamum, ſufficientibus inſtruere viribus, quibus ſub præſentia divina benefica in ſuo perſeveraret ſtatu, mandare, ut

in ſuo

in ſuo ſtatu perſeveraret, nihil remittere de ordine divino ad conſervandum Adamum in illo ſtatu conſtituto, priuſquam voluntate ſua inſurgeret contra Deum: & quia, ut periclitaretur vires ſuas, permiſit congreſſum Tentatoris adverſarij, decrevit etiam permittere lapſum, ſi ab uſu virium ſuarum concreatarum & cohabitantium abſtinuerit Adamus, quem non uſurum viribus ſuis, licet divinitus promtis & ſufficientibus ex libera omiſſione, Deus præviderat. Hinc providentia actualis, hucuſque omnia καὶ πρόγνωσιν ſapientiſſimè ordinans, porrò decrevit, quid de lapſo eſſe factura. Permiſſio verò illa, uti deinceps oſtendemus, non eſt antecedenea ſubtractio præſentium virium. Præſentes enim vires, etiam quantum ad permiſſionem attinet, adhuc permanent. Extinguuntur verò ipſo actu ſub permiſſione oriundo & reſultante, ubi demum interciditur concurſus divinus, ſive conſervationis actus, à quo vires ille pependerunt. Igitur ſi voluntatem Dei antecedentem ſpectemus, valuit primus homo potentiâ ſtandi in perpetuum. Neque unquam quicquam Deus vel oppoſuit, vel impoſuit, quo poſito, eadem in perpetuum uti non poſſet. Decrevit verò ſponte ſe ſe determinantem tradere arbitrio ſuo, & lapſum iis excipere modis, qui etiam ex theſauro decretorum divinorum revelati ſunt. Unde jam manifeſtum eſt, quod primus homo, etiam ſuppoſito decreto divino & providentia divina actuali, potuerit diutius uti potentia ſtandi, quam ea uſus fuit. Verum equidem eſt, eum, qui de lapſu capilli cujuſvis ſtatuit apud ſe, deque lapſu paſſerculi cujuſvis ex nido ſuo decrevit, non poſſe cenſeri nihil ſtatuiſſe de homine. Sed id non pertinet ad majeſtatem providentiæ actualis Dei, ut abſoluto & irreſiſtibili decreto ejus de homine ejuſque ſive lapſu, ſive perſeverantia decretum ſit. Illa, quæ de caſu capilli paſſerculique dicta ſunt, ex ordine rerum ſunt, de quibus Deus abſolutè decernere poteſt. At enim verò poſtquam ſemel in hunc ordinem rerum, ſub hac voluntatis divinæ declaratione, collocatus fuit primus homo, jam conſtat, quomodo cenſere de eo ſupremum Numen velit, aut quid de eo decreverit ab æterno.

Præclarè de hoc negotio ex priſcæ Eccleſiæ Doctoribus §. 26.
diſſerit

disserit JOHANNES DAMASCENUS *de Orthod. Fid.* II, 12. Ἐποίησεν ὁ θεὸς τ̀ ἄνθρωπον ἄκακον, εὐθῆ, ἐναρέτον, ἄλυπον, ἀμέριμνον, πάσῃ ἀρετῇ κατηγλαισμένον, πᾶσιν ἀγαθοῖς κομῶντα, οἷόντινα κόσμον δεύτερον, ἐν μεγάλῳ μικρὸν, ἄγγελον ἄλλον, θεωρητικὸν μικτὸν, ἐπόπτην τῆς ὁρατῆς κτίσεως, μύστην τῆς νοουμένης, βασιλέα τῶν ἐπὶ γῆς, βασιλευόμενον ἄνωθεν, ὀπήχοον καὶ ἔγγιον, θεώμενον καὶ ἀθάνατον, ὁρατὸν καὶ νοούμενον, μέσον μεγέθους καὶ ταπεινότητος, τ̀ αὐτὸν πνεῦμα καὶ σάρκα, πνεῦμα διὰ τὴν χάριν, σάρκα διὰ τὴν ἔπαρσιν· τὸ μὲν INA MENEI καὶ δοξάζῃ τὸν εὐεργέτην, τῷ μεγάθει φιλοτιμούμενον· τὸ δὲ, ἵνα πάσχων ἀναμιμνήσκηται καὶ παιδεύηται. ζῶον ἐπίγειον οὐράνιον, πρόσκαιρον καὶ ἀθάνατον, ὁρατὸν καὶ νοητὸν, μεσίτην ὄντα τῶν ὑπερκειμένων καὶ ὑποκειμένων φύσεων, καὶ ἀρχιερέα τῆς κτίσεως, καὶ ἱερέα καὶ βασιλέα, καὶ προφήτην, καὶ ἀρχιστράτηγον, καὶ ἄρχοντα, καὶ κριτὴν, καὶ δοτῆρα τῶν θείων ἀγαθῶν, δι' ὧν ἔσχεν ἐν ἑαυτῷ τὴν ἀκολουθίαν τῆς θείας προνοίας. Ταῦτα ἐν ἑαυτῷ συνάγων ὁ θεὸς λόγος, καὶ ἑνώσας ἑαυτῷ τὴν ἀνθρωπίνην φύσιν, ἐποίησεν ἕνα ἄνθρωπον ἐκ δύο φύσεων, ψυχῆς καὶ σώματος, καὶ πάλιν ἐκ δύο φύσεων, θεότητος καὶ ἀνθρωπότητος, καὶ ἕνα θεάνθρωπον. Ἐν τούτοις γὰρ ἐγνωρίσθη ἡμῖν ὁ θεὸς λόγος, ἐν τῷ ἑνῶσαι ἑαυτῷ τὴν ἀνθρωπίνην φύσιν. Ἐν τούτοις γὰρ ἐγνωρίσθη ἡμῖν ὁ ἄνθρωπος, ἐν τῷ ἑνῶσθαι τῷ θεῷ λόγῳ. Ἐν τούτοις γὰρ ἐγνωρίσθη ἡμῖν ὁ θεὸς λόγος, ἐν τῷ ἑνῶσαι ἑαυτῷ τὴν ἀνθρωπίνην φύσιν. Ἐν τούτοις γὰρ ἐγνωρίσθη ἡμῖν ὁ ἄνθρωπος, ἐν τῷ ἑνῶσθαι τῷ θεῷ λόγῳ. Clichtovæus ita vertit: *Fecit Deus hominem purum, pravitateque carentem, rectum, fortem, jocundum, securum, omni virtute decorum, bonis omnibus ornatum: velut quendam secundum mundum, in magno mundo parvum, angelum alterum, adoratorem mixtum, inspectorem visibilis creaturæ, discipulum intellectualis, eorum, quæ in terris sunt, Regem, rectum desuper, terrenum simul & cœlestem, temporalem & immortalem, visibilem & intelligibilem, medium magnitudine & humilitate, eundem spiritum & carnem: spiritum propter gratiam, carnem propter elationem, illum quidem VT MANEAT & glorificet tantorum bonorum indultorem, hanc verò ut patiatur & patiens reminiscatur & castigetur, magnitudine largitionum multum honoratum, animal hic dispensatum, h. e. in præsenti vita; & alium in locum transmittendum in futuro seculo, &, quod finis est mysterij, accessu ad Deum deificandum: deificandum autem non translatione in divinam substantiam, sed divina traditione. Fecit autem natura insontem, voluntate liberum. Insontem autem dico, non quod non esset peccati susceptivus, (nam sola divinitas peccatum suscipere nequit) sed quod in eo, quod secundum naturam, peccare situm non esset, verum potius*

potius secundum voluntatis delectum, id est, potestatem habet & manendi *& proficiendi in bono, divinæ cooperator gratiæ: identidem mutari ex bono & in malum prolabi, Deo id permittente propter liberam ipsius potestatem. Nam non virtus est, quod violentia sit factum.* Hæc Damascenus. Deus ergo condidit Adamum nequaquam sub decreto contrari ante ipsi usui potentiæ standi, sed potius cum decreto manendi & glorificandi maximorum bonorum indultorem. Imò Adamus debuit esse cooperator gratiæ divinæ per potestatem manendi & proficiendi in bono, adeoque debuit plus boni in statu integritatis facere, quam fecit.

§. 27. *Concursus divini in statu integritatis ratio explicatur.*

Non autem sequitur, quod contra Bellarminum Præus infert, si non concedatur, speciali auxilio eguisse primum hominem, quò excitaretur ad bene operandum, futurum, ut Cyclopis Homerici aut Ajacis instar statuatur sine DEO vincere potuisse, & ad velle ac perficere sufficisse sibi. Nam ut excitaretur ad bene operandum, satis erat concursus ille divinus, quem pro ista specie in perfectione & felicitate, qua creaverat, conservanda & perpetuanda, prima causa decreverat, ordinaverat, dispensaverat. Concursus ille inclusit illapsum beneficum summi luminis in lumen sapientiæ intellectum perficientis, & summæ virtutis in apparatum ornatumque cæterarum virtutum, quibus voluntas exornata fuit. Et hic concursus ne ad momentum quidem defuit primo homini, antequam laberetur. Ipso illo momento, quo voluntas defecit in usu virium suarum & admissione superioris concursus, retractus est ille quasi & suspensus. Si ordinem quæris, omnino æstimandum est, cum bonitate & singularissima philanthropia Dei consentientius esse, si defectionem aliquam hominis priorem dicamus, ipsa subtractione concursus divini. Deus sanè ordinis, quem ipse sanxit, constantissimus & accuratissimus observator est, neq; unquam quicquam hominis conservationi necessarium subducit, quæ incomprehensibilis ejus est bonitas, nisi ex justo judicio. Hoc verò requirit antecessionem alicujus in homine defectionis & recessus ab ordinis illius sanctimonia atque majestate. Potest equidem concursus ille vocari specialis, si spectemus, eum humanæ speciei singulariter indultum fuisse, nec cum

ulla alia creatura taliter communicabilem. Unus, summus, immensus creator nimirum præsentiam suam concursumque ita universis operibus suis dispensat, ut tamen singulis eam quasi attemperet, ea proportione eoque gradu, qui ad finem summum satis est, & conservationi singulorum in suo statu accommodatus. Estque concursus ille actuosus & efficax. Fuit autem primo homini ita dispensatus, ut illo perenniter frui potuisset, &, ut Damascenum loquentem audivimus, esse cooperator divinæ gratiæ: non verò inevitabiliter irresistibiliterque illius voluntatem prædeterminavit, sed admisit infra se in homine repugnantiam & defectionem liberam. Illamque admissionem non necessariò, sed liberè sequitur repugnantia seu defectio, idque ideò, quia nihil subtrahit aut subducit, sed ordinem servat, ut hominem servet, conservatione tamen non absolutâ, sed ordinata. Si itaque per speciale auxilium absolutam & irresistibilem gratiam Paræus intelligat, nihil obtinèt. Non etiam statim Ajacem & Cyclopem Homericum hominem primum fuisse asseverant, qui sine Deo vincere posset, & ad velle atq; perficere sibi sufficeret, cum tali auxilio non eguisse dicunt Theologi. Sufficit ille beneficus & amorosus concursus divinus, sapientissimè illum in omnibus moderatus, quo posito, nequaquam ad velle & perficere sibi solus sufficisset, sed omninò à concursu illo pependisset, qui ad bona quæque illum determinasset & deduxisset, nisi nova repugnantia actuali sese isti concursui optimi Dei subducere conatus esset. Posito illo concursu divino, & usurpatis excitante concursu viribus donatis, vincere potuisset tentationem, non tamen sine Deo vicisset, qui totam victoriam in tanta harmonia & pulchritudine concurrenti Deo debuisset.

§. 28. Neque profectò generalis concursus divini, quem auxilium vocat, indolem & naturam capit Paræus, cum ex dicto Actor. 17. *in Deo vivimus, movemur, & sumus*, qui dat omnibus vitam & halitum, concludit, id fieri non solum generali, sed & speciali auxilio. Ipse enim generalis concursus divinus, quem præsentiam Dei universalem Theologi nuncupant, est cum proportione, relatione & applicatione ad singulas creaturas, quibus vita, motus, essentiaque dispensatur. Hic in singulis certo sanci-

ſancito ordine efficax eſt. In quo ordine creaturæ ſive inanimatæ, ſive irrationales neceſſariò decurrunt: creaturæ verò rationales liberæ, liberè. Itaq; poſſunt illum ordinem deſerere, admittente concurſu divino. Quando verò conſiſtunt in ordine, non ſua vi, ſed concurrentis Dei beneficio ſubſiſtunt, à quo id omne eſt, quo ſunt & ſubſiſtunt. Sic potuit primus homo omittere & occaſiones ad repugnantiam deducentes allicienteſque, & ipſam repugnantiam cohibere; nihilominus perſiſtentia ad concurſum divinum pertinuiſſet, cujus efficaciâ repreſſit repugnantiam & viribus uſus eſt ſapientiæ, qua caliginem grandia promittentis ſerpentis potuit diſcutere. Manſiſſet enim in ordine divino ordinantis Dei opere. Sed illo non ex abſoluto decreto promanante. Dum autem ſprevit efficaciam concurſus, nec uſus eſt viribus datis, lapſus eſt. Itaque falſum eſt, quod propter carentiam alicujus ſpecialioris, intenſioris, & extraordinarij auxilij, quale muſſitat Paræus, lapſus ſit primus homo. Neque enim tale ad perfectionem ſtatus conſervandi neceſſarium fuit, etiamſi, ſi datum fuiſſet, conſervatus fuiſſet. Neque enim omne id, quo poſito primus homo in integritate perſtitiſſet, ad ipſius perſeverantiam neceſſarium fuiſſe, ſi Deus eam voluiſſet, dicendum eſt. Aliàs & unionem perſonalem, quæ ἀναμαρτησίαν inducit, neceſſariam fuiſſe, dicendum erit: quod nemo aſſeverabit. Malè ergo concludit Maccovius, *hominem regenitum potentia, quam ex regenerationis dono obtinet, uti non poſſe aliter, quam Deus decrevit & vult, adeò ut non poßit plus boni facere, quam facit, & plus mali omittere, quam omittit.*

Hoc ſanè ictu concidit omnis admonitionum ſanctiſſimarum, objurgationum juſtiſſimarum, votorum, ſtimulorumque penetrantiſſimorum validitas, quæ uſpiam in ſacrarum literarum monumentis reperitur. Dic Moses; Deut. 4, 5. *Vide docui vos ſtatuta & judicia, quemadmodum mihi præcepit Iehova Deus meus, ut ſic faciatis in medio terræ, quo mox ingreſſuri eſtis ad poßidendam eam jure hæreditario. Obſervabitis ergo atque facietis.* Reſponderent hac concluſione imbuti Iſraëlitæ: *Plus obſervantiæ præſtarè non poſſumus quam præſtabimus, minus inobœdientiæ exhibere non poſſumus, quam exhibebimus, quia ſubjacemus irrefragabili decreto, quo jam* §, 29.

definitum est de nobis, quantum committere vel omittere debeamus. Dic DAVID Psal. 2, 1. *Quare tumultuantur gentes & nationes meditantur inane &c.* Respondebunt: *Nos minus tumultuari non potuimus, nec a meditationibus inanibus nobis magis temperare, quam tumultuati fuimus & meditati, quia subjacuimus prædeterminanti decreto quo jam ante ad tumultuationes istas meditationesq; destinati fuimus.* Objurga ESAIAS cap. 1, 2.3.4.5. *Audite cœli & auribus percipe terra: nam Iehova loquitur. Filios educavi & extuli, ipsi autem deficientes rebellaverunt in me. Agnoscit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui: Israël non agnoscit, populus meus non animadvertit. Ah gens peccatrix, populus gravissimus iniquitate, semen maleficentissimum, filij corruptionis, dereliquerunt Iehovam, contemtim irritaverunt sanctum Israëlis, abalienantes sese averterunt retrorsum.* Respondebunt: *Non potuimus minus deficere, non potuimus in paucioribus rebellare, non potuimus à contemtu & irritatione sancti Israëlis abstinere magis, non potuimus in mandatorum divinorum observatione progredi longius.* Ingemiscat JEREMIAS cap. 4, 19. *Viscera mea, viscera mea doleo, præcordia mea, fremit mihi cor meum, non possum silere, nam sonum buccinæ audit anima mea, clangorem tubæ belli.* v. 20. *Contritionem super contritionem proclamari, quin vastanda est tota hæc terra, repente vastabuntur tentoria mea, momento aulæa mea.* v. 21. *Quousque visurus sum vexillum? auditurus sonum buccinæ?* v. 22. *Quoad stultus erit populus meus, quoad me non agnoscent, quoad filij stolidi erunt, neque intelligentes erunt? quoad sapientes erunt ad malefaciendum, & benefaciendi ignorantes? &c.* Respondent: *Veniat bellum, clangat buccina! proclametur contritio super contritionem, vastitas terræ inferatur, dissipentur aulæa, destruantur tentoria! spectetur vexillum, resonet tuba! stultitiam nostram procurrentem ad extremam usque insaniæ lineam cohibere nequimus, minus stulti esse non possumus: in agnitione Domini provehi non possumus, plus agnoscere nobis datum non est, imo absolutè denegatum est: advocare radios sapientiæ illuminantis fas nobis non est, excluſi sumus superiori potestate. Quod filij stolidi sumus, decretum Dei est. Quod sapientes sumus ad malefaciendum, benefaciendi ignorantes, decretum Dei est. Minus mali facere, plus boni facere, datum nobis non est desuper.* Instruat EZECHIEL c. 18, 5. *Quum quis erit justus, exercebitque jus ac justitiam,* v. 6. *in illis montibus non comederit, & oculos suos non sustule-*

ſuſtulerit ad ſtercoreos Deos domus Iſraëlis, uxoremque proximi ſui non polluerit & ad uxorem ex immunditia ſeparatam non appropinquaverit: v. 7. *Neminemque oppreſſerit, pignus ſuum debitori reddiderit, rapinam non rapuerit, panem ſuum eſurienti dederit, & nudum operuerit veſte:* v. 8. *In uſuram non dederit, & fœnus non acceperit, ab iniquitate retraxerit manum ſuam, jus verum exercuerit inter unum & alterum.* v. 9. *In ſtatutis meis fideliter ambulaverit, juraque mea obſervaverit colendo veritatem, juſtus hic omnino vivet, dictum Domini Iehovæ.* v. 10. *Quod ſi genuerit filium effractorem, effuſorem ſanguinis, qui faciat fratri præter ullum iſtorum:* v. 11. *Qui iſta omnia non faciat, qui etiam in iſtis montibus comedat, & uxorem proximi ſui polluat.* v. 12. *Pauperem & egentem opprimat, rapinas rapiat, pignus non reddat, & ad ſtercoreos Deos attollat oculos ſuos, abominationem faciens.* v. 13. *In uſuram det & fœnus accipiat, hiccine viveret? non vivet! omnes abominationes iſtas fecit, omninò afficietur morte, cadis ipſius cauſa in ipſo erit &c.* Occurrent inſtruenti: *Exercitium juris juſtitiæq; à ſolo dependet prædeterminante Dei decreto, in excelſis comedere, vel nō, oculos attollere ad ſtercoreos Deos domus Iſraël, vel non, uxorem proximi polluere, vel non, ad uxorem ex immunditia ſeparatam appropinquare, vel non, proximum opprimere, vel non, pignus debitori reddere, vel intervertere, rapinam rapere, vel non, panem eſurienti dare, vel non, nudum operire veſte, vel operto veſtem detrahere, in uſuram dare, vel non, fœnus accipere, vel non, ab iniquitate trahere manum ſuam vel admovere iniquitati, jus adulterare, vel verum exercere inter unum & alterum, ſtatuta Domini fideliter obſervare, vel malitioſè negligere, in uno alterove objecto plus minusve facere, a nobis alienum eſt, imminet decretum nobis impoſitum, ejus lineas tranſgredi nequimus. Succumbimus abſolutè ſtatutis terminis.* Sic obviabunt Danieli & reliquo prophetarum choro. Sic excipient ipſum Jeſum Chriſtum. Sic Paulum, Petrum, Johannem, Jacobum, Judam ſive monentes, ſive objurgantes, ſive optantes, ſive ſtimulantes tractabunt, ſi quidem iſta maxima obtineat, *hominem etiam regenitum potentia, quam ex regenerationis dono accepit, uti non poſſe aliter, quam Deus decrevit & vult, adeò, ut non poſſit plus boni facere, quam facit, & plus mali omittere, quam omittit.*

§. 30. Reſpondet Maccovius I. præſupponere nos hypotheſin falſam, *quaſi omnis homo pietati ſtudeat. Certè homo animalis non*

ſubjicitur legi Dei, nec poteſt, Rom. 8, 7. II. *Homines pios, etſi credunt, ſe nihil aliud agere poſſe, quam quod Deus, ut agant, decrevit, interim tamen pro regula vitæ ſibi propoſitam habent legem Dei, & in ſtudium illius obſervandæ ſeriò atque ſedulò incumbunt, deque illius ſucceſſu ex promiſſione Dei bene ſperant. Certè David credebat omnes actiones ſuas à Deo ſciri.* Pſal. 139. *ac proinde ex ipſius decreto gubernari, nec minus ſeriò tamen in ſtudium legis obſervandæ incubuit, ut locuples teſtis eſt* Pſ. 119. III. *Etſi nobis in genere ac indefinitè conſtet, aut ſaltem ex Dei verbo conſtare poteſt, nos nec plus boni poſſe facere, quam facimus, nec plus mali omittere, quam omittimus, quia Deus, ut utrumque ſic fiat, ab æterno decrevit: tamen quia nobis non conſtat in ſpecie ac definitè, quantum definivit Deus ut faciamus, vel omittamus, non poſſumus jure fatui cenſeri, ſi perpetuò ſtudeamus plus boni facere, quam facimus, itemque plus mali omittere, quam omittimus. Imò ſapientes potius jure cenſebimur, ſi relicta Dei arcana ipſius gubernatione ad perfectionem perpetuò tendemus, & præcepta Dei, quibus omnis generis bona nobis præſcripſit, præſtare ſtudebimus.* Deut. 29, 29. IV. *Si fatalem neceſſitatem putemus neceſſitatem ex hypotheſi decreti divini, tum ſe admittere fatalem eſſe in operationibus humanis neceſſitatem. Et quomodo quæſo non omnia neceſſariò eveniunt, cum omnia eveniant, vel quod Deus facere illa decreverit, ſi bona ſint, vel permittere apud ſe ſtatuerit, ſi mala ſunt. Nam ſtatuere, non omnia, quæ eveniunt, Deum decreviſſe, hoc verò dogma eſt tale, cui meritiſſimo impingi hoc poteſt, quod religio omnis per illud & diſciplina penitus tollatur. Nam ſi hoc ita habet, ergò aliquid evenit neceſſario, quod à Deo non dependet, hoc verò eſt Stoicum fatum ſtatuere. Hoc enim pacto eveniunt quædam Deo invito & nolente: Vnde Deus ipſe huic neceſſitati invitus ſubjacebit? At quomodo quæſo hæc cum ipſius providentia, omnipotentia, beatitudine conſiſtere poſſunt? Providentia, ut qui rerum ordinem ita conſtituerit, & porrò regat, ut ipſo nolente aliquid evenerit. Omnipotentia, ut qui, quæ noluit, avertere, quo minus fierent, non potuerit. Beatitudine, qui quod noluit, & quod non ferat, evenire pati cogatur.* V. Negat ſequi, *ſi neceſſario omnia eveniunt reſpectu decreti divini, quod per hoc omnis rollatur religio, omnis pietas. An enim religionem non coluerunt iſti, de quibus* Jer. 32, 40. *dicit: Reverentiam indam animo ipſorum, ut non recedant à me? annon norant diſciplinam illi, quibus illa promittebat & tandem etiam conferebat Deus,* Ezech. 36, 26. 27.

Amove-

Amovebo cor lapideum è carne veſtra, indam vobis cor carneum. Et ſpiritum meum ponam in medio veſtri, quo faciam, ut in ſtatutis meis ambuletis & jura mea obſervetis. Erant ſc. expertes pietatis illi, quibus pronunciabat Deus Oſ. 2, 19. *Deſponſabo te mihi in ſeculum, deſponſabo te, inquam, mihi in juſtitia, judicioque & benignitate ac miſericordia. Apage vero quiſquis es cum tali religione.* VI. ait: *Deus amat juſtitiam eam, quam faciunt homines, non eam, quam non faciunt, quanquam facere ex lege debent. Nam ſi eam amaret, ſi illa delectaretur, etiam eam efficeret in hominibus.* Pſ. 115, 13. *Et quomodo quæſo illa delectaretur, cujus contrariũ decrevit permittere? Certè ut non placet illi in hac vita nos perfectè regenerare, ita nec placet, ut ſimus ſine omni peccato. Nam ſi hoc ipſi placeret, tam facile erat ipſi hoc præſtare in vita hac, ac præſturus eſt in vita futura, ubi perfectè integritati priſtinæ, in qua conditi ſumus, nos reſtituet.*

Reponimus ad I. non eſſe noſtram hypotheſin, *quaſi omnis homo ſtudeat pietati.* Hoc autem contendimus, hominem poſſe, poſito ordine divino ad pietatis operationem obſervando atque applicando & ipſi homini propoſito, non rarò & citius ad pietatis exercitium pervenire, quam pervenit, & longius progredi, quam progreditur. Hoc ſi negatur, dicimus ſtudium atque induſtriam omnem exercendi pietatem, aut progrediendi in eadem labefactari. Ubi enim obſtat abſolutum & peremtorium decretum Dei, ibi ſtudium atque induſtria omnis fruſtra ſunt apud mortales. Imò ibi eſſe non poſſunt. Decretum namque divinum non ſolum eſt de ipſa pietatis exercitatione, ejuſque progreſſibus, atque limitibus progreſſuum, ſed etiam de ſtudio atque induſtria, tum ratione exiſtentiæ, tum ratione quantitatis, ſive intenſionis & remiſſionis. Quod de homine animali, qui legi Dei non ſubjicitur, nec ſubjici poteſt, ex Rom. 8, 7. profertur, planè impertinens eſt. Nec enim, quod animalis homo non ſubjicitur legi Dei, nec poteſt ſubjici, ad decretum Dei pertinet, aut ex eo ſuam habet originem. Eſt enim φρόνημα σαρκὸς ἔχθρα εἰς θεὸν, verſ. 7. Igitur ab abſoluto Dei decreto, antegrediente & prædeterminante voluntatem humanam, oriri nequit. Hinc nec ἐν σαρκὶ ὄντες poſſunt θεῷ ἀρέσαι. Quapropter omni contentione Apoſtolus hortatur, ut ambulemus in ſpiritu verſ. 4. 5. 6. Quod igitur φρόνημα τῆς σαρκὸς non ſubjicitur legi divinæ, neque ſubjici poteſt, ex ipſius natura & qualitate proficiſcitur.

§. 31.

Locus Rom. 8, 7. expenditur.

Ut enim caro & ſpiritus in homine quidem ſunt unà, nunquam autem conciliari poſſunt, ſed hoſtes ſunt perpetui, ita & utriuſque φρόνημα concordare non poteſt. Φρόνημα ergò τῆς σαρκὸς, licet non poſſit ſubjici legi, tamen ejici poteſt & tolli. Hoc enim vult Paulus, ut magis magiſque omittamus φρόνημα τῆς σαρκὸς, ceu ἀναλοφύσεν, & ſequamur φρόνημα τοῦ πνεύματος. Unde jam fluit argumentum contra Maccovium: Quos ſtimulat S. Paulus ad deſerendum magis magiſque φρόνημα σαρκὸς, & ſequendum atque amplexandum φρόνημα τὸ πνεύματος, illi minus φρονήματι σαρκὸς agi, magis φρονήματι πνεύματος gubernari poſſunt, quam reipſa aguntur atque gubernantur. Non enim dicit S. Paulus, quod periclitari & tentare debeant, an poſſint per ſuperioris Domini inſuperabile decretum minus agi φρονήματι σαρκὸς, plus gubernari φρονήματι πνεύματος. ſed vult, ut toto animo ad deſerendum refutandumque mortiferum σαρκὸς φρόνημα contendant, & ſalutiferum πνεύματος φρόνημα ſequantur. At & Paulus Romanos ſtimulat ad deſerendum magis magiſque φρόνημα σαρκὸς, & ſequendum atque amplexandum φρόνημα τοῦ πνεύματος. Romani igitur minus φρονήματι σαρκὸς agi, magis φρονήματι πνεύματος gubernari poterant. Nec illud prætermittendum hoc loco, quod Maccovius loco φρονήματος σαρκὸς malè ſubſtituit animalem hominem, de quo 1. Cor. 2, 14. dicitur, quod animalis homo non percipiat ea, quæ ſunt ſpiritus Dei, neque percipere poſſit. Aliud enim eſt animalis homo, aliud φρόνημα σαρκὸς. Animalis homo eſt homo irregenitus, in ſuis viribus & facultatibus conſideratus: hic in ſpiritualibus intelligendis ex ſe nihil præſtare poteſt: neque enim lumen illud intellectus habet, quo informata potentia intelligendi ſpiritualia objecta & regni gratiæ myſteria attingere poteſt & recipere. Φρόνημα σαρκὸς verò eſt operatio carnis etiam in regenitis adhuc reſidua & veteris hominis proles, h. e. intellectio & volitio corrupta, quæ repugnat ſpiritui, & obſtat ejus ſuggeſtionibus motionibuſque, ne recto procedant tramite. S. Paulus ergò vult Romanis indicare, principia actionum diligenter attendenda eſſe. Eſſe in ſanctis etiam carnem, eſſe ſpiritum: eſſe viam carnis, ad quam calcandam illiciuntur, eſſe viam ſpiritus, ad quam ſancta gubernatione agitan-

agitantur: esse φρόνημα σαρκὸς, & esse φρόνημα πνεύματος. Habere fideles magna præsidia pro spiritu contra carnem. Itaque debere eos omnibus modis sibi cavere, ne φρόνημα σαρκὸς sequantur, & in ejus noxia & perniciosissima incidant consectaria. Ibi igitur est φρόνημα σαρκὸς, ubi est σάρξ, hoc loco monente Apostolo Paulo, coërcenda, v. 1. & 2. ubi est σῶμα νεκρὸν δι' ἁμαρτίαν v. 10. ubi sunt infirmitates, quibus συναντιλαμβάνεται τὸ πνεῦμα v. 26. ubi est ἀντιστρατεία inter legem mentis & legem membrorum c. 7, 23.

Ad II. qui sciunt, se nihil agere posse, quam quod Deus, ut agant, decrevit, & simul credunt, Deum ad omnem actionem præmovere & prædeterminare, adeoque se nihil agere posse, nisi prius agantur & suscitentur irresistibiliter à superiori causa, & ubicunque deficiunt, illud non nisi ex motionis divinæ carentiâ fieri, illi non possunt consequenter & juxta suorum principiorum facultatem erigi ad studium legis & observationem regulæ cœlestis. Nam quod sibi propositam habent legem cœlestem, & in illius observationem sedulò incumbunt, id ab illa infallibili antecedente præmotione & prædeterminatione promanat, à qua ad quamcunque actionem & cujuscunque actionis gradum promoventur & agitantur absolutè. Namq; magis studere legis divinæ regulæ, aut minus eandem negligere non possunt, qui non possunt plus boni facere, quam faciunt, & minus mali committere, quam committunt. Est igitur vana & principiis contradictoria persuasio, cum putant, se ardenti conatu incumbere observationi regulæ divinæ, & ardentiori studio porrò incumbere velle. S. David credidit quidem, omnes suas actiones à Deo sciri, Psal. 139. sed non credidit, omnes antecedaneo decreto designatas & prædeterminatas esse, ut nunquam potuerit vel plures bonas actiones edere, vel pauciores etiam malas committere. Hoc si credidisset, longe aliter Psal. 119. locutus fuisset. Contendit is perpetuo à Deo, ut in perfectione obœdientiæ Deo crescat, & subinde sapientiæ justitiæque incrementis abundantior fiat. Et contendit hoc ex illuminantis S. Spiritus certamine. Ergò omninò paratus est Deus dare incrementa perfectionis precantibus. Nam & precari ad ordinem divinum pertinet, intra quem positis suam Deus dispensat gratiam. Rectius autem

§. 32. *An studio pietatis obstet Maccovii pronunciatum?*

precaturus fuisset, si precatus esset suæ perfectionis ex absoluto decreto infallibiliter dispensandum demensum, ultra quod nihil erogabitur, infra quod non terminabitur Dei dantis voluntas, si per decretum divinum stare persuasus fuisset, quod non plus boni homo faciat, aut plus mali omittat.

§. 33. Ad III. Utin specie nobis constet, vel non constet, quantum boni ex absoluto Dei imperio facturi simus vel omissuri, ad id nil magis facit, quod de studio pietatis diximus, aut magis impedit, quam quod generaliter tantum constat, non plus boni nos facere posse, quam facimus, nec plus mali omittere, quam omittimus. Satis nobis est, eo ipso studium contentionemque in piis convelli, & annihilari vim monitionum ad studium contentionemque illam in languidis & remissioribus, quia indefinitè constat, non majus studium nostrum esse posse per absolutum decretum, quam reapse est, non minorem languorem atq; oscitantiam, quam reapse comparet. Imò nihil in nobis esse, quod reniti concursui divino queat ad talia nos ducturo: atque adeò non minus fatuitatis, aut plus sapientiæ à nobis præstari in christianismi cursu posse, quam præstatur.

§. 34. *De Fato Maccoviano.* Ad IV. Quod Maccovius Fatum divinum necessitans & suum decretum absolutum, quod ab æterno fatus est Deus ex opinione sua, copulat, permittimus. Sed ejusmodi hypothesin decreti divini antecedenter necessitantis omnia, non concedimus. Quod enim omnia eveniunt, vel quia Deus illa facere decrevit, si bona sunt, vel quia permittere apud se statuit, si mala sunt, nondum satis est, ut ejusmodi fatalem necessitatem introducamus. Nam fatalis necessitas, sive vis absoluti divini decreti, causaliter influit in actiones causarum liberarum, adeoque determinat & circumscribit irresistibiliter omnia. Permissio autem divina non imponit aliquam necessitatem resultantiæ actionum malarum in causis liberis, neque antecedenter aliquid subtrahit c dini concursus divini, quo subtracto jam nequeant aliter operari, quam reipsa operantur. Itaque quia permittere decrevit, scit etiam orituras esse illas actiones malas, non tamen aliam quam consequentiæ necessitatem inde colligimus, qua non potest Deus res aliter scire, quam reapse sunt. Sed ista præscientia

non

non imponit *antecedentem quandam necessitatem* rebus futuris, sed quadam ratione concipiendi nostra conjungitur cum reous futuris, sive actibus liberis, & concursum agentibus dispensat, & ex infinitate perfectionis sciendi in Deo sub se habet omnia. Et quia omnes actus liberi intra ambitum finitæ durationis reperiuntur, omnis verò finita duratio collata ad æternitatem, in qua præscientia Dei est, vix momentum est, sicut omnis finita substantia ad immensitatem Dei comparata vix punctus est, ideoq; æternæ præscientiæ omnes actus liberi subsunt. Sic Bartholom. Keckermannus *system. theol. lib. 1. cap. 5. pag. 114. Prævisio seu præscientia Dei nullam affert necessitatem eventibus futuris. Prævisio enim differt ab efficacia agendi, seu ponendi eventus: non sunt res tales ob præscientiam Dei: sed quia tales futuræ erant, ipso Deo vel agente, vel permittente & dirigente, ideo prænovit.*

§ 35. *Ant. Walæi confusio distinctionis inter necessitatē consequentiæ & consequentis notatur.*

Antonius Walæus *Tom. 1. oper. pag. 231.* valdè se torquet in hoc negotio. *Fatemur*, inquit, *aliquo respectu necessaria esse respectu divinæ providentiæ, quæ à causa libera & contingente fiunt respectu causæ proximæ. Sed hæc necessitas non pugnat cum libertate. Nam distinguendum est inter necessitatem absolutam seu simplicem, & inter necessitatem hypotheticam seu secundum quid, quæ ab aliis vocatur necessitas infallibilitatis & consequentiæ, non consequentis. Quæ distinctio sumta est ex ratione syllogismi demonstrativi. Nam in omni syllogismo verò medius terminus semper est causa consequentiæ, sed non est semper causa consequentis, id est, attributi conclusionis, quod tantum in syllogismo & διὸν locum habet, ut ex Logica notum. Sic ergo diverso respectu res eadem potest esse necessaria & contingens: quemadmodum in syllogismo communi forma potest esse necessaria, etsi materia tantum sit probabilis. Vocatur etiam necessitas infallibilitatis seu eventus, quia posita Dei determinatione eventus quidem infallibiliter sequitur, sed tamen non immediatè à determinatione illa, sed mediante hominis libertate, quam sua determinatione Deus non violat, sed includit & confirmat. Vocatur etiam necessitas infallibilitatis respectu præscientiæ, quæ & finem & media, & omnes modos ac connexiones mediorum penetrat, & fallit non potest. Vocatur etiam necessitas ex hypothesi & secundum quid, nempe decreti, quod præsupponitur in se libertatem continere, non excludere. Necessitas ergo absoluta, coactio, item naturalis opponitur libertati, non autem*

tem illæ neceßitatis ſpecies, de quibus jam actum. Exempla hujus rei plurima extant in ſcripturæ. Nam ſi cauſas ſecundas ſpectes in hiſtoria Ioſephi, filij Iacobi, nempe fratrum ejus in ipſum odia, mercatorum prætereuntium emtionem, ſomniorum recitationem, Pharaonis hinc ortam in eum propenſionem, contingenter in ſtatum illum à Pharaone Ioſephus eſt evectus: ſi verò Dei voluntatem & providentiam, id neceſſariò ab eo factum, quemadmodum Gen. 37, 7. fuerat prædictum & à Ioſepho poſtmodum coram fratribus confirmatum, quando dixit, vos me huc non miſiſtis, ſed Deus me huc miſit. *Sic 1. Reg. 22, 34. Achabus contingenter cæſus eſt in prælio à milite qui ne hoc quidem in animo habuit: ſi tamen Dei prædictionem per Micham factam ſpectes, neceſſariò. Sic Cyrus nomen Cyri accepit, ad regnum miris modis evectus eſt, liberavit Iſraelitas ex captivitate ſua, ſi cauſas proximas ſpectes, contingenter & liberè, ſi Dei regimen & prædictiones, infallibiliter & neceſſariò, quemadmodum videre eſt Eſa. 44, 23. cap. 45, 1. &c. Sic Chriſtus liberè ad mortem perductus eſt, ſi cauſas proximas ſpectes, & tamen neceſſariò, ſi Dei definitionem & voluntatem Luc. 22, 22. Imò verò ex ſola hypotheſi divinæ præſcientiæ & quidē illius mediæ, ſequitur neceßitas aliqua infallibilitatis. hac Walæus.*

§. 36. Atqui primò *Walæus* in prima cauſa ponit neceſſitatem rei. Per æternum namque, abſolutum & immutabile decretum conſtitutum eſt, quicquid in tempore fit. Ergo non ponit duntaxat neceſſitatem conſequentiæ, ſed conſequentis. Nam neceſſitas conſequentiæ non eſt ipſius rei neceſſitas, cum illa in ſua natura ſit mutabilis & contingens, ſed illius eſt neceſſitas, quod ad rem illam poſitam ſequitur. Neceſſitas autem conſequentis eſt ipſius rei neceſſitas, quæ conſiſtit in eſſentiali effectus à cauſa dependentia, quando nimirum res ſequitur ex cauſa antecedente neceſſaria, vel quando tàm antecedens, quàm conſequens eſt neceſſarium. Oritur enim neceſſitas hæc ex eſſentiali & neceſſaria cauſæ & effectus nexu. Deus autem ipſius rei neceſſitatem cauſis ſecundis impoſuit, ſi per æternitatem decreti prædeterminantis ad unum indifferentiam ſive liberam determinationem inter contraria aut contradictoria, ſive ad objecta & actus jam præcluſit. Deinde *neceßitatem* conſtituit *hypotheticam*, ſed *hypotheſi decreti divini abſoluti & immutabilis.* Atqui neceſſitas hypothetica non eſt, quæ ex hypotheſi abſoluti decreti eſt, ſed eſt abſoluta neceſſi-

necessitas. Ut enim decretum circa ordinem rerum est, ita quicquid absolutè ex decreto oritur. Hypothetica necessitas habet hypothesin in re seu facto, non in causa prima. Dicitur propter hypothesin seu conditionem rei immutabiliter annexam. Sic qui ambulat, necessariò movetur. Necessitas motus dicitur hypothetica necessitas, cum à movente liberrimè motus fit elicitus, quia hypothesis ambulationis hic annexa est. Et pertinet huc illud Aristotelicum περὶ ἑρμην. 9. omne quod est, quando est, non potest non esse. Tertiò *necessitatem infallibilitatis* non ex scientia claræ visionis deducit, unde tamen, consensu totius antiquitatis, respectu agentium liberorum inprimis, deducenda, sed ex absoluta prædeterminatione, ex qua & finem à se præstitutum, & media à se irresistibiliter definita & in operationem, quæ impediri nequit, ordinata, & omnes connexiones mediorum à se antegrediente decreto constrictas & colligatas penetrat. Ea verò non est, ex usu Doctorum, infallibilitatis necessitas; cum hæc unicè ad infallibilem omnividentem Dei oculum pertineat, quo non solum res à se ordinatas antecedenti sua voluntate intuetur, sed & quid ex liberorum agentium applicatione ad istum ordinem consecuturum sit, introspicit, unde postea consequenter ordinat, quicquid ex ordinis antecedentis promissis minisq; promanat. Quartò ita explicat *necessitatem consequentiæ* in hoc negotio, cum eam, recepto apud Doctores more, cum necessitate illationis syllogisticæ comparat, ut protestatio sit contraria facto. Nam in syllogismo dialectico, aut eoetiam, qui à posteriori concludit, medius terminus quidé causat consequentiam, sed non est causa consequentis. In nostropræsenti negotio decretum divinum à causatione consequentis non excluditur. Quintò contradictoriè ait, juxta suam sententiam eventum quidem infallibiliter sequi, sed tamen non immediatè à determinatione illa, sed moderante hominis libertate, quam sua determinatione Deus non violat, sed includit & confirmat. Nam sive immediatè, sive mediatè determinatione irrefragibili Dei eventus sequatur, nihilominus necessitas antecedens hoc loco ponitur. Ratio est, quia illa suprema determinatio, quam in causa prima ponit, omnia media penetrat, & invictè suo decreto

Necessitas hypothetica non est ex antecedentis decreti absoluti hypothesi.

conformat. Sed & inclusio libertatis in determinatione divina non habet nisi merè passivam subordinationem. Neque enim, quando Deus agentium liberorum sibi subordinat motiones, primum permittit spontaneam determinationem ad hoc vel illud subjectum, sed ipse determinat ad actionem, aut actionis speciem. Deinde illa ipsa libera agentia tantum materialiter, non autem in formali libertatis suæ exercitio constituta, sibi in illa determinatione subordinat. Sextò quamcunque hypothesin sive *suppositionem* constituat Walæus, si illa sit *antecedens*, tollitur libertas in inferioribus agentibus. Ejusmodi enim antecedente suppositione, jam per irrefragabile divinum decretum Dei posita, inferioribus agentibus jam denegata & absolutè præcisa est libertas in aliam actionem, aut actionis speciem. Et hoc ipsum est, quod dixit jam olim Anselmus Cantuariensis Episcopus lib. de concordia præscientiæ & liberi auxilij, & lib. 2. Cur Deus sit homo cap. 17. & 18. necessitatem ex suppositione antecedente tollere libertatem, non autem ex suppositione consequente. Suppositionem enim antecedentem vocat omne id, quod prærequiritur antecedenter, seu ex parte actus primi ad actum liberum: unde hanc suppositionem antecedentem ipse vocat causam rei, & ideò si ex tali suppositione necessariò sequitur effectus, tollitur libertas, de cujus ratione est, ut cum omnibus illis prærequisitis maneat potentia integra ad agendum & non agendum, etiam respectu talium conditionum antecedentium. Suppositionem autem consequentem vocat omnem illam, quæ includit ipsam met actionem creaturæ, quia jam illa supponit usum liberum. Unde necessitas ex illa non potest ipsum liberum usum auferre, quia non est necessitas rei, sed illationis tantùm. Conf. Augustinum de Civitate Dei, lib. 5. cap. 10. Septimò, quod concernit exempla S. literarum, & in principio historiam Josephi, nulla antecedens & à suprema causa prædeterminante oriunda necessitas illis actionibus circa Josephum imposita est. Neque enim filij Jacobi ad odia contra ipsum prædeterminati sunt illa, ut non plus eum amare, aut minus eum odisse potuerint, neque mercatores prætereuntes ad illam emtionem acti sunt infallibili motione. Quamvis, si hoc factum esset, post quam

Omnem antecedentem absolutam suppositionē necessitatem inferre causis secundis, docetur.

jam

jam malitia fratrum exegerat è familia fratrem, & ita casibus variis innocentissimus & cœlitus illuminatus Josephus obnoxius fuerat, ut sic patrocinio inferetur meliori, nihil factum fuisset, quod Deum in consortium peccatorum antegressorum trahere posset. Somnia Pharaoni immissa & quæ secuta, ad extraordinariam Dei actionem pertinent, ad quam & Josephus spectat, cum dicit, Deo autore se huc missum esse: spectat nimirum ad missionis œconomiam & terminum; non autem ad missionis ἀπαρχὴν & exordium. De Achabi interfectione nihil est, quod moremur. Si vel maximè immediata & necessaria determinatione & motione sagittam egisset in Achabum, justo judicio egisset. Sed id non probaret, antecedente & absoluta voluntate, quæ peccata Achabi antegrederetur, id Deum fecisse. De Cyro pariter exemplum scopo dispar est. Interim Deus ex prævisione moderatus est Cyri liberas determinationes consiliorum, ut huc & ad bonum Ecclesiæ decurreret. De scientia media, quam nominat Walæus, infra dicendum erit.

Sed eamus porrò obviam Maccovio, qui adhæc infert, §. 37.
quod, *non omnia, quæ eveniunt, Deum decrevisse, tale dogma sit, cui meritissimè impingi possit, quod religio omnis per illud & disciplina penitus tollatur. Nam si hoc ita habet, ergo aliquid evenit necessariò, quod à Deo dependet &c.* Dicimus autem Maccovium fallere generali & confusa veræ sententiæ recitatione. Neque enim omninò negamus, circa omnia, quæ eveniunt, occupari decretum divinum. Id verò dicimus, decretum divinum non omnium quæ fiunt esse causam fiendi, non omnia fieri præmovente & prædeterminante Deo, non esse aliquod absolutum decretum & antecedens, quod certum bonarum actionum malarumque numerum definiverit, adeò, ut homo non possit plus boni agere, quam agit, & plus mali omittere, quam omittit. Itaque nihil est, quod non à Deo dependet, si non efficienter, quod ad actiones bonas pertinet, tamen ita, ut facta permissione subsit regimini divino & ab eodem accipiat terminos. Quod verò infert; hoc pacto aliqua evenire Deo invito & nolente, è schola Simonis Magi est, si invitum accipias pro nolitione permissionis. Hoc enim curreret contra supremæ causæ dignitatem & eminentiam, sub qua nihil esse potest

test aut deesse, cujus vel existentiam nolit, vel defectum nolit permittere. Si verò invitum sumas pro morali repugnantia, cui scilicet rationibus à bonitatis, sapientiæ & potentiæ divinæ consideratione deductis occurrit sapientissimus idem atque optimus Deus, omninò fatendum est, nolente invitoque Deo aliquid fieri. Atque hoc sub illâ phrasi occultatur, qua dicit S. Paulus Eph. 4, 30. nos actionibus repugnantibus legi *Dei contristare* Spiritum S. Atquem locum ita scribit PELICANUS h. l. Comm. *Ea tantum loqui discamus, quæ bonos instaurent mores audientium, alioqui contristabimus Spiritum S. Dei, tum in nobis tum in audientibus habitantem. Studet enim ille unicè gloriæ Dei & proximorum ædificationi, quare non potest non deijci, ubi non inutilibus modo, sed & noxijs fabulis & tempus teritur & animi audientium profanantur. Certè sentiunt molestiam sancti, quoties ab hujusmodi fabulis ad sese redeunt. Obsignati enim sumus hoc spiritu, ut redemtionem olim consequamur, ab omni peccato liberati. Hunc ergò & in hac vita idem nos spiritus agit; quare molestum ei esse oportet, quicquid cum peccato conjunctum est.* Et CALVINUS Comm. h. l. *Cum Spiritus S. habitet in nobis, omnes tàm animæ, quàm corporis nostri partes illi sacras esse oportet. Quod si nos prostituimus ad aliquod inquinamentum, jam illum quasi ex suo hospitio ejicimus. Id quo familiarius exprimat, tribuit Spiritui S. humanos affectus, gaudium & tristitiam. Date, inquit, operam, ut Spiritus S. libenter in vobis habitet ut in domicilio lecto & jocundo: nec ullam tristitiæ materiam illi date. Quidam secus exponunt, quod spiritum Dei contristemus in aliis, dum pios fratres, qui spiritu Dei aguntur, offendimus obsceno sermone vel alijs modis. Nam piæ aures, quicquid pietati adversum est, non modo respuunt, sed, cum tale quid audiunt, gravi dolore vulnerantur. At quod sequitur, ostendit, aliam fuisse mentem Pauli. Quo signati estis, inquit. Quia ergo Spiritu suo nos Deus obsignavit, illi sumus molesti, dum non sequimur ejus ductum, sed profanis affectibus nos polluimus. Non potest satis pro dignitate explicari sententiæ hujus gravitas, quod Spiritus S. gaudet atque hilaris est in nobis, dum illi nos morigeros per omnia præbemus, nihil cogitamus, aut loquimur, nisi purum & sincerum; quod rursus afficitur mœrore, quoties aliquid vocatione nostra indignum admittimus. Nunc reputet apud se quisque, quam horrida sit impietas, spiritum Deum pungere ea tristitia, ut à nobis tandem discedere cogatur.*

Locus Ephes. 4, 30. expenditur.

JOHAN-

Johannes Chrysostomus hom. XIV. ad h. cap. 4. locum ait: Φεικωδέστερον καὶ φοβερώτερον τοῦτο, ὅπερ καὶ ἐν τῇ πρὸς Θεσσαλονικέας ἐπιστολῇ φησι καὶ ἐκεῖ γάρ τι τοιοῦτον λέγει· ὁ γὰρ ἀθετῶν, οὐκ ἄνθρωπον ἀθετεῖ, ἀλλὰ τὸν Θεόν: οὕτω καὶ ἐνταῦθα ἂν εἴπῃς ὕβριστικὸν ῥῆμα, ἂν πλήξῃς τὸν ἀδελφὸν, οὐκ ἐκεῖνον ἔπληξας, ἀλλὰ τὸ πνεῦμα ἐλύπησας. *Horribilius & terribilius hoc, quod quidem etiam dicit in Epistola ad Thessalonicenses; Illic enim quoque tale aliquid dicit:* Nam qui spernit, non hominem spernit, sed Deum. Ita hic quoque; *si verbum dixeris contumeliosum, si fratrem percusseris, non hominem percussisti, sed Spiritum S. affecisti tristitia. hæc ille, qui in elegantissimo* ἠθικῷ *hæc omnia fusius persequitur.* At quomodo hæc λύπη Spiritui S. θεοπρεπῶς attribui potest, si non fit invito & nolente Spiritu sancto, quicquid illius contristationis causa est? Imò quomodo Spiritus S. contristari potest, quod non magis à peccatis contra conscientiam abstineatur, aut plus proficiatur in pietatis exercitio, si ille antecedente omnem humanæ mentis agitationem & cogitationem decreto definivit, & in tempore prævovet & prædeterminat, ne prius aut posterius, plus aut minus, melius aut deterius fiat, quam fit?

§. 38. *An dici possit, Deum velle mala fieri?*

Non ergò cum analogia fidei & principiis theologicis consentit, si dicamus, *Deum velle mala esse, & velle mala fieri. Esse enim malum & fieri malum* non minus repugnant voluntati divinæ, quam ipsum malum. Unde iisdem rationibus ostendi potest, velle malum & fieri malum non posse objici voluntati divinæ, quibus malum ipsum voluntati summæ objici non posse, supra § 6. Triglandi, ostendisti. Nam fieri malum culpæ, est malum culpæ. Omnis enim actio & motus sive passio, sortitur rationem & specificationem ex termino. Mala fieri verò resonat actionem seu motum & passionem tendentem ad mala, tanquam ad terminum. Quapropter mala fieri, malum culpæ est. Sanè peccati malitia fundatur & in actione sub ratione actionis, & quidem potius, quam in formali ratione termini producti. Atque ideò, cum mala fiunt à voluntate creata, expressissimè & directissimè divinæ rectitudini repugnatur. Unde malum culpæ non potest Deus velle fieri. Qui enim vult antecedens per se ordinatum ad consequens, quod inde necessariò sequitur, ille etiam vult conse-

quens. Fieri malum est antecedens per se ordinatum ad malum, quod inde necessariè sequitur. Non potest igitur non velle malum, qui vult fieri malum. Et si Deus vellet fieri mala, vellet omninò consequenter, à voluntate creata mala eligi. Quomodo enim aliter fieri possunt mala, quam electione libera? Quod si concedatur, sequetur irrefragabiliter, voluntatem creatam, dum applicatur ad optionem & operationem malorum, non peccare. Quomodo enim peccare potest voluntas creata, dum se summæ voluntati, quæ omnibus immensæ & supremæ legis instar est, conformat. Est sanè hæc conformitas in volito formali, adeoque perfectam harmoniam constituit inter voluntates hoc modo concurrentes. Potestque voluntas, si res ita se habet, ut Deus velit fieri mala, & non plura bona fieri, & non minora mala fieri, sine ulla veritatis & voluntatis supremæ læsione dicere: Volo, quod Deus vult me velle, & propterea volo; quia Deus vult me velle, cujus voluntati peremtoriæ nemo potest resistere, & ex suppositione ista volo, quod Deus vult me velle. Hinc primum Augustinus lib. 3. de L. A. cap. 16. Prosper ad Vinc. object. 4. Nyssenus orat. Catech. cap. 5. circa fin. & de vita Mosis circa med. Clem. Alexandr. stromat. 4. med. Tertull. in exh. ad cast. cap. 1. constanter urgent, liberari à culpa voluntatem creatam, si Deus voluit, ut creata voluntas eligeret mala, si voluit fieri mala. Et Fulgentius urget lib. 1. ad Monimum frequenter, inprimis cap. 5. 13. 19. 22. Deum injustè puniturum peccata, si vellet ea fieri à voluntate creata. Unde porro sequitur, Deum non solum non posse velle, ut voluntas creata committat actum malum, sed etiam non posse velle, ut omittat actum bonum, quando ex circumstantiarum requisito ad hoc & nunc obligat, quia hoc est peccatum omissionis. Quamvis autem peccata non fiant Deo volente, adeoque neque ipsum fieri peccatorum Deus velle, propter infinitam suam perfectionem, possit, non tamen idcircò vel necessitati subjacet, vel invitus subjacet. Quia illud ipsum fieri peccatorum nunquam non subjacet Deo, licet deordinetur à voluntate superiori: neque necessitas est aliqua peccandi, nisi quam homines sponte sibi attraxerunt; & illa necessitas à fine ultimo non arcet Deum, qui etiam inter ipsas peccatorum difficultates

grassa-

grassatur ad perfectionem, & id obtinet, quod ultimatè voluit. Unde neq; providentia læditur, etiamsi fiat aliquid Deo non volente. Hoc ipsum enim ad perfectionem providentiæ summi entis pertinet, ut etiam repugnantia voluntati suæ, sub permissione Dei liberè è causis inferioribus emergentia, sibi tamen subigat, & per accidens ad bonum summum & universi dirigat. Nec periclitatur omnipotentia, quia liberrimè suam vim eo usque dispensare non vult, ut simpliciter avertantur omnia mala. Non denique beatitudo divina turbatur & sempiterna illa tranquillitas, quia non cogitur pati evenire, id quod non vult, sed liberrimè permittit, & id quod permittit in sua habet potestate, & ex permissis infinita sapientia elicit, in quo suavissimè æternum conquiescit, de quo superius latè disseruimus.

§. 39. *Decretum de actibus hominis antecedens tollit religionis curã.*

Ad V. omninò tollitur religionis cura & pietatis studium reipsa (quicquid sit de operatione hominis, sæpe aliter ac falsorum principiorum impressiones exigunt, in progressibus suis sese exhibentis) si omnia necessariò fiunt respectu decreti divini antecedentis. Hoc enim finem & media & omnes modos ac mediorum connexiones penetrat, ut Walæus loquitur, vi irresistibili & ad individuum actionum & circumstantiarum omnia determinante. Quos per Jeremiam alloquitur Deus, quod inditurus sit animis ipsorum, ut non recedant à Jehova, illi non sunt absoluta & prædeterminante Dei operatione ita gubernati, ut irresistibiliter inditionem virium ad non recedendum à Jehova habeant & possideant. Promissio est, quam Jeremias c. 32, 40. nomine Jehovæ denunciat, quæ non excludit ordinem, nec hoc innuit, ea intensione virtutis divinæ, cujus efficaciam nemo frustrare possit, Deum illam inditionem operaturum. Certè promissiones beneficum ordinem divinum, promtitudinem immensæ bonitatis, porrectam & paratam manus divinæ largitatem insinuant, quæ paratissima est ad omne pietatis elogium evehere & determinare malitiosè non resistentes, ad quod seipsos determinare nequeunt. At iste ordo seriô ex Dei intentione communicabilis sæpissimè repellitur. Huc etiam pertinet amotio cordis lapidei & carnei cordis datio, quæ non fiunt absoluta &

irresistibili vi. Sed de eo in materia de gratia, Dei volente, fermocinabimur.

§. 40. *An Deus non amet justitiam, quam homines non faciunt?*

Ad VI. falsum est, Deum non amare justitiam, quam homines non faciunt. Amare nequit sub ratione existentiæ; hæc enim malitiosâ hominum repugnantia intervertitur. Amat tamen ut possibilem, ut ad gloriam suam ordinabilem, ut potentiæ suæ & sapientiæ & gratiæ futurum documentum, ut Ecclesiæ debitum ornamentum; ut proximo dispensabile bonum; ut opus infinitæ misericordiæ coronabile. Et quidem primò *amore simplicis complacentiæ*. Scholasticorum veterum quidem nonnullorum ista fuit sententia, Deum possibilia, quæ nunquam futura sunt, nullo respectu amare. Inde consequenter illi asseruerunt, Deum justitiam & obœdientiam merè possibilem nullo respectu amare. Sed hi gravissimis rationibus jam dudum in propria schola confutati sunt: 1 *quia* quælibet bonitas secundum se placere potest voluntati, ita ut simplici quodam amore erga illam afficiatur. Quævis enim potentia perfectissima potest versari circa quamcunque rem, quæ participet communem rationem sui objecti: sicut perfectissimus visus potest versari circa omne visile: proinde & perfectissima voluntas circa omne bonum. In apprehensione verò essentiæ creabilis, etiam præscindendo ab actuali existentia, omninò est bonitas. Illa imago creaturæ possibilis objicit intellectui divino veritatem, voluntati divinæ bonitatem. 2. *quia* aliqua bonitas & justitia possibilis, quam nondum ut futuram cognovit & intuitus est Deus, sed ut possibilem sibi proposuerat, tantæ sufficientiæ objectum fuit respectu voluntatis divinæ, ut eam amaverit amore efficaci; hoc est, qui decernat de dandæ existentia & productione ejus. Ea fuit justitia, ex. gr. Adami originalis. Objiciebatur illa bonitas & justitia divinæ voluntati, ut possibilis. In eam verò ita ferebatur voluntas divina, ut sepositis omnibus aliis ornamentorum spiritualium modis hanc justitiam amaverit Deus, adeoque in eam collocare Adamum ab æterno decreverit. Bonitas sanè cognosci ut futura non potest, nisi supposita volunte efficaci producendi illam. Ideoque priusquam supponatur efficax decre-

cre-

oretum producendi bonitatem illam, non proponitur ab intellectu, quasi futura bonitas, Priusquam autem voluntas divina efficaciter decernat rem aliquam producere, necessariò prærequiritur cognitio proponens illius bonitatem Nondum autem proponitur ut futura: Ergo ut possibilis. Si verò amore efficaci aliqua possibilis bonitas & justitia à divina voluntate comprehendi potuit, quanto magis amore complacentiæ comprehendetur, ex quo liberè amor efficax oritur. 3. *quia* etiam creatæ voluntati per simplicem complacentiam possibilia multa placent, quæ possemus efficaciter producere, sed nolumus. Hæc enim est perfectio amoris nostri, cum sit abstractio quædam & independentia à rerum existentia futura, ut in eis complaceat. Cur ergo divinæ voluntati non poterunt placere objecta possibilia, quæ potest & non vult producere? 4. *quia* ut intellectus divinus approbat omnem veritatem possibilem, & in ejus contemplatione simplicis intelligentiæ acquiescit, ita ratio nulla est, cur non etiam voluntas divina amet, approbetq; omnem bonitatem possibilem, & in ejus comprehensione simplici complacentia conquiescat? 5. *quia* Deus non amaret suam bonitatem comprehensivè, hoc est, amore adæquante omni ex parte amabilitatem Dei, nisi amaret omnem bonitatem etiam possibilem. Sicut enim Deus suam veritatem non cognosceret comprehensivè, nisi omnia possibilia intelligeret, sic etiam non amaret suam bonitatem perfectè, nisi amaret omnem bonitatem possibilem. Amat utique Deus opt. maximus suam infinitam & nunquam exhauriendam communicabilitatem ad extra. Illa autem sese extendit non duntaxat ad bonitatem existentium, sed etiam ad bonitatem possibilium. Amat enim Deus tantam bonitatis suæ perfectionem, quantâ non præteritis, præsentibus & futuris duntaxat se communicavit, verum etiam infinitis possibilibus, quæ mens divina comprehendit, communicari possit. Amat ergo illa, ut possibiles suæ bonitatis expressiones. Posito omninò quod ames artificis artem, placeat tibi oportet artificium, quod ille potest fabricare. 6. *quia* nec ex parte objecti voluntatis divinæ, nec ex parte ipsius voluntatis divinæ reperitur sufficiens repugnantia, contra simplicem complacentiæ amorem erga bo-

mitatem & justitiam possibilem. Quod enim dicitur, bonitatem justitiamque possibilem neque *ut finem*, neque *ut medium* posse amari, quia in nulla temporis differentia existit, reponimus, eam omnino posse amari *ut medium*, & ita Deum amare amore simplicis complacentiæ bonitatem justitiamque possibilem, tanquam cujus intuitus subservire potest ad ostendendam attributorum suorum infinitam perfectionem subordinatosque fines alios. Placet omninò Deo, sibi suppetere infinita media possibilia, neque ulla eum mediorum premi inopia. Quod dicitur, *intellectum quidem posse versari circa rei quidditatem & præscindere ab ejus actuali existentia: voluntatem verò semper tendere in bonum sub ordine ad actuale esse, quia bonum est in rebus*; reponimus, esse in rebus non tantum actualiter existentibus, sed etiam possibilibus & objectis. Omninò enim placet illa possibilis pulchritudo, in hac illave re emersura & extitura, si decretum productionis accederet. Quod dicitur, *divinam bonitatem independentem esse à creaturis, ideoque Deum in illius amore posse fisti etiam nullo complacentiæ affectu erga creaturas posito*; Reponimus, & divinam veritatem esse independentem, nihilominus sine creaturarum etiam possibilium veritatibus non posse per divinam scientiam comprehendi. Sic ergo & divina bonitas, etiamsi à creaturis non dependeat, non potest planè & plenè per amorem comprehendi, nisi incluso amore creaturarum. Quod dicitur, *non posse amare Deum possibilia, quæ nunquam futura sunt, quia adversus illa fertur summo odio: hoc enim esse & elucere in eo, quod Deus non solum nolit, ut existant in rerum natura, sed etiam nolit adhibere aliquam causam, cujus virtute potuissent existere*: reponimus, non esse ex odio & repugnantia quadam profectum, quod infinita possibilia Deus noluerit existere, neque causam adhibere, ut existerent, sed ex summa libertate Dei, quâ placuit, Deo inter amata infinita possibilia horum existentiam decernere, aliorum existentiam non: qua item his causas ordinavit, ut existerent, illis non, *Sed vide illam sententiam confutatam in schola apud Vasquez, Valentianum, Arriagam, inprimis Did. Ruitzium de Montoja, de voluntate Dei, disput. 6. sect. 1. 2. & 3.*

§. 41. *Deus justitiam indi-*

Amat deinde Deus justitiam, quam homines non faciunt, *amore prosecutionis & concupiscentiæ*, ut schola vetus loquitur, 1. *quia* præ-

præcepta de illa justitia gravissima sanctissimaque dedit & sufficienter promulgavit. 2. *quia* promissionibus coronationis pulcherrimæ & uberrimæ illam quasi desideratam à se provocat & prosequitur. 3. *quia* imminutionem & omissionem ejus, aut ei oppositam injustitiam extremè odit: 4. *quia* tanquam suum debitum ab hominibus repetit, &, quasi damnum sit illatum, restitutionem requirit: 5. *quia* ob contemtum illius tanquam sibi dilectissimæ homines gravissimè punit: 6. *quia* est in semine spiritus S. & à malitia crescente hominum suffocatur, *uti* parabola Matth. 13. insinuat. 7. *quia* per infinitam satisfactionem & justitiam Jesu Christi sibi repræsentari voluit. Taceo plures rationes alias, alibi exponendas.

ctã, etiam non præstitam, amet amore prosecutionis?

Itaque differentia est inter justitiam, quam homines non faciunt, & inter bonitatem merorum possibilium. De merè possibilium bonitate Deus nihil ordinavit, nihil mandavit, nihil exposuit, sed eam in simplici possibilitate reliquit: de justitia autem, quam homines non faciunt, operosus fuit & actuosus, ut sic dicam, Deus, nec intermisit, quicquid congruum erat facere & ordinatum, ut non faceret. Fecit ad ejus productionem & existentiam, quicquid voluit facere. Seminavit, plantavit, rigavit, augmenta suppeditavit. Matth. 13. Dedit talenta Matt. 25. &c. Noluit eam producere operatione absolutâ, ut Solem & stellas, terram & arbores, plantasque, sed ordinata. Itaque vetus cantilena Maccovij malè concinnata est, cum ait: *Si illam amaret, si illa delectaretur, etiam eam efficeret.* Amat omninò illam, delectatur illius pulchritudine & ornatu Deus, ideò illam tanto provocavit apparatu semper, παραγγέλλων τοῖς ἀνθρώποις πᾶσι πανταχοῦ μετανοεῖν, *Actor.* 17, 30. invitat ad eam & extendit, *Proverb.* 1, 24. ad ejus complexum manus auxiliatrices. Est hic non *amor concupiscentiæ* solum erga justitiæ pulchritudinem, sed etiam *amor amicitiæ* subest; quo ejus intuitu bene cupit fidelibus, ut in ea fulgeant & coronentur. Non amat autem eam, nec delectatur ea, ut prædeterminatione absoluta producendam, sed ut in certo seminationis spiritualis ordine eliciendam. Audax autem & effrenis insolentia est Maccovij, cum ait; *Et quomodo quæso illa delectaretur, cujus contrarium decrevit permittere?* Sic Deus nec seipso delectaretur,

§. 41.

Differentia inter præceptam justitiam & mera possibilia.

tur, quia malum sibi contrarium decrevit permittere. Sic nec delectaretur sanctissimis angelorum exercitibus, quibus malum, quod decrevit permittere, extremè adversatur. Sic Deus nec merito & obœdientia filij sui unigeniti delectaretur, cui malum decreto divino permissum gravissimè contrariatur. Esa. 43. & 53. Sic nec delectaretur lege sua sanctissima perfectissimaque Deus, qui tamen est perfectionis divinæ ectypus, quia illi repugnat peccatum, quod Deus decrevit permittere. Imò in universum nec verbo suo delectaretur Deus, quia peccatum permisit, cui destruendo & excludendo peccatum ordinatum & destinatum est. Nimirum quia delectatio Dei super justitia illa inhæret certo ordini à Deo constituto, cui annexa est nullo modo necessitans permissio contrarij, ideoque cum permissione consistere potest delectatio de eo, quod ex illo ordine emergere potest. Placet sanè Deo, ut simus sine omni peccato. Sed non, ut absoluta Dei potentia in via positi illicò transmutemur, & ἀναμάρτητοι constituamur. Si non placeret, nos esse sine omni peccato, non indueret nobis Jesum Christum, ut illius infinita perfectissimaque justitia tegamur, adeòque coram ipso ἀμωμοι reddamur. Non etiam placeret ipsi quotidiana & successiva destructio corporis peccati. Placere ipsi peccatum in se nunquam potest. Hoc agit mediis divinitus ordinatis, ut simus ab illo hoste liberi. Quamvis nos, qui in Jesu Christo sumus, non damnat, *Rom.* 8, 1. onerat tamen *Rom.* 7, 14. Ut igitur peccatum Deo placeat, aut placeat, quod nos sumus in peccato, nunquam cum summa sanctitate Dei conciliari potest. Potest tamen concordari, ut permittamur aliquandiu hærere in illo onere.

§. 43. Sed superest, ut etiam reliqua MACCOVII ad causam periculosam accersita subsidia dispiciamus. Ait pag. 415. *Homo in statu integritatis non potuit uti potentia, quæ in ipso fuit ad perfectè obœdiendum Deo, absque Deo & ejus auxilio. Quomodo ergo homo regenitus, in quo potentia ad bona opera edenda sit imperfecta, poterit uti potentia hac absque Deo & voluntate ejus. Consequentia per se clara. Minor probata est in proximè antecedentibus. Rursus homines irregeniti non possunt hoc præstare, ad quod potentiam habent, absque auxilio Dei & voluntate ejus. vide inter alia de Assur,* Esa. 10. v. 15. *Ergo nec regeniti possunt*

possunt uti potentia ad bene operandum præter & extra voluntatem Dei. Consequentia certa est. Nam utrobique eadem est ratio. Porrò homines potentia ad opera civilia præstanda uti non possunt absque auxilio Dei. Ergo nec homines regeniti possunt potentia uti, quam habent ad bene operandum, absque auxilio ejus. Antecedens clarum est Psal. 117, 1. 2. *Ratio consequentiæ, quia eadem ratio utrobique. De similibus autem idem est judicium. Et hinc Spiritus S.* Jacobi cap. 4. *de itione ad mercatum non vult dici,* I B O, *simpliciter, sed* ibo si Deus voluerit. *At quanto magis hoc usurpandum fuerit de operibus moralibus ab homine regenito præstandis. Et certè rem ita habere ipse conscientiæ sensus, qui hac in parte acerrimus est, testatur. Quoties enim speramus, nos aliquid paulo rectius facturos, tacita animi cogitatione adjicimus,* si velit Deus. *Quasi nil à nobis possit rectè fieri, nisi Deus adsit, præsente autem Deo, certo quodam modo nil possit fieri pravè. Contra verò si metuimus, ne quid perperam faciamus, statuimus omninò id eventurum, ni prohibeat Deus. Vnde oritur studium & ardor precandi, ne Deus nos inducat in tentationem. Neque verò hoc pacto aliud, quam vel pravitatem, vel imbecillitatem nostram agnoscimus; Dei verò potentiam, bonitatem, sapientiam, qua sola sustentamur, prædicamus. Sanè in pietate tantum possumus, quantum Deus, ut possimus, largitur: largitur autem, quantum decrevit.* Deus est, *inquit Apost. Phil.* 2, 13. qui facit in nobis velle & perficere, ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας. *Probamus porrò in hoc sensu, quo ante diximus, hominem regenitum non posse plus boni facere, quam facit, & omittere plus mali, quam omittit, quia Deus, in quo peccat homo, ipsum peccare permittit. Ratio istius est, quia permissionem peccati necessariò sequitur peccatum. Nam aut futuritionem peccati præcessit Dei permissio naturæ ordine, aut verò secuta sit. Si præcessit, res futura non erat, nisi Deus eam permisisset. Si secuta, ridicula jam permissio est, qua res seu velis, seu nolis, futura permittitur, quasi quis permitteret circumagi cœlum, aut flare ventum. Præclarè de tota hac re* Tvvissus *in respons. ad Arminij probationem:* Robur habituale, *inquit,* conceditur in regeneratione; quo fit, ut plus minus feramur in illud, quod bonum & acceptum Deo comperiatur. *Iterum dico, ex habituali gratia sive robore spiritus fit volitio boni veri in genere, sive in bono complacentia, sive inclinatio ad bonum, simulque propositum abstinendi à malo, sed (propter carnem adversus spiritum concupiscentem) conjuncta cum naturali propensione ad malum. At robur*

actuale, sive gratia actuali confert volitionem boni propositi in specie, seu potius in individuo, simulque aversationem mali conjuncti prorsus efficacem: hinc fit, ut non modo velimus, sed & faciamus, quod bonum est & acceptum Deo, idque qua tale. At si quando accedit tentatio ad malum, quæ carnem excitet & proritet, simulque suspendatur roboris illius actualis subministratio, quid fiet etiam Davidi, aut Petro, aut Salomoni? An aliud expectandum, quam ut in peccata ruant, eaque pro natu rerum occasionibus etiam atrocissima, sive in adulterium, sive in homicidium, sive in idololatriam, sive in Domini sui fœdissimam abnegationem? Et ita disputavimus contra sententiam istam adversariorum, quam concipiunt indefinitè ratione status hominum. *Iam paucis contra ipsum agemus, quatenus illam proponunt* indefinitè ratione mensuræ sive gradus. *Quærunt nempe, An homo plus boni possit facere, quam facit, aut plus mali omittere, quam omittit? Poterit ergò usque eò progredi hoc pacto, ut quod lex requirit, perfectè præstare possit, contra ac toties testatur scriptura. Imo quia propositiones hæ sine ullo termino & sine proponuntur, poterit talis ultra progredi, & etiam opera, quæ Pontificij urgent, supererogatoria præstare. Ceterum nostra sententia defenditur à Magnis Viris & bene de Ecclesia Dei meritis.* Camero *contra Tilenum pag.* 302. Ex eo, quod dixi fieri nulla ratione posse, ut eorum Deus sit præscius, quæ nec facere, nec permittere decreverit, ait sequi, hominem nec plus boni facere, quam facit, nec plus mali omittere, quam omittit. Ego verò lubens agnosco, multa esse, quæ dicta simpliciter offensionem pariunt, & quidem jure, quæ eadem, si adjecta hypothesi dicantur, ejusmodi sunt, ut nemo ausit contradicere. Exempli gratia, si quis dixerit, Pharaonem non posse dimittere populum Dei, statim omnium aures offendit: idem si adjiciat, ni Deus impij cor hominis emolliat, non autem constituit & decrevit id Deus facere: non est igitur futurum, neque verò poterit fieri, ut populum Dei dimittat, neminem jam oratio offendit. PISCATOR *contra Vorstium in resp. ad amicam duplicationem p.* 175. Nemo plus potest boni facere, quam facit, nec plus mali omittere, quam omittit, respectu decreti divini, non autem respectu naturæ rerum, hoc est, naturalis potentiæ, tum passivæ in homine, tum activæ in Deo, cum homo sicà Deo agi possit, ut

plus

plus boni faciat, quam reipsa facit, & plus mali omittat, quam reipsa omittit. Sic Maccovius.

Ad 1. probat tantum, hominem regenitum absque Deo & ejus auxilio nihil posse agere, nec absque voluntate superiori uti §. 44. sibi data potentia. Id verò in controversiam à nobis non vocatur: sed illud disquiritur, an concursus divinus sit ex seipso prædeterminatus & prædeterminans causam inferiorem liberam ad hoc duntaxat individuum actionis & ejus circumstantias, adeò ut sub illo concursu non liceat aliter agere, aut non agere, aut melius agere? An verò Deus antecedente benefica suæ voluntatis largitate ita concursum suum, & quicquid adfert cœlestium præsidiorum gratiosa præsentia, ita dispenset, ut regenitus plus sub illo & ex illo & per illum provehi in adscensu mentis ad Deum queat, minusque à desiderio eorum, quæ sursum sunt exerrare? Hic posteriorem amplectimur sententiam repudiata priori: I. *quia* posita prima sententia tota causa defectus & progressus in actionibus quibuscunque reducitur in Deum, quo non movente causa inferior moveri nequit; quo antecedenter determinante, specificante, limitante, suspendente actionem neque regredi, neque progredi actio potest, & ita non entitas actionis duntaxat, sed etiam qualitas & omnes circumstantiæ, ipsaque adeò malitia sive cõmissionis sive omissionis ad Deum autorem pertinet. Posterior malum tanquam deficiens à Deo removet. II. *quia* posita prima sententia libertas tollitur utraq;, tam contrarietatis, quam contradictionis, hoc est, homo non potest in objectis eligibilibus eligere hoc, illud repudiare, neque potest velle agere, vel non agere: quia in ipsa radice libertatis jam hæret suprema divina prædeterminatio, quæ & ad velle restringit hoc, non aliud, ad agere vel non agere limitat, ad taliter & tantum agere & non aliter specificat. Posterior libertatem relinquit. III. *quia* prima sententia regenitum semper passivè duntaxat sese habere, nunquam activè, supponit. Hucusque nostri docuerunt, discrimen faciendum esse inter conversionem & regenerationem, in qua homo merè passivè sese habeat & nullo modo ex suis viribus concurrere possit, utpote amissis & perditis: & inter statum hominis post conversionem, ubi

jam in intellectu & voluntate novis est donatus viribus & libertate aliqua prædius: in quo jam aliqua sit ipsius activitas & ad concursum cum Deo facultas cœlitus obtenta. Si autem in quamvis actionem, in quodvis momentum, in quemvis gradum, in quamvis vel intensionem vel remissionem actionis irresistibili prædeterminatione incumbit prima causa, quomodo aliter quâ passivè ipsa etiam facultas agendi sese habebit? Non enim minus progressus conversi, quam initium conversionis erit à prædeterminante Deo. Posterior discrimen stabilit. IV. *quia* prima sententia comminationem divinam paradisiacam convellit.

Locus Gen. 2, 17. expenditur.

Quocunque die comederis de arbore vetita, morte morieris, inquit Iehova. Interdictum est: *De fructu arboris scientiæ boni & mali ne comedas.* Sensus comminationis divinæ erit secundum primam sententiam hic: Quocunque die ego prædeterminante concursu meo atque auxilio, quo hactenus te conservo in perseverantia, non amplius te sustentavero, atque adeo non amplius restrinxero ad abstinentiam à comestione fructuum arboris vetitæ, infallibiliter comedes & morte morieris. Qualis hæc comminatio, quæ in comminantem conjicit originem ejus, cui comminatio est opposita? Comminator Deus fingitur in hac sententia prius fregisse ordinem, quo facto non potuit non sequi ruina ejus, qui tamen comminatione ista ad observantiam ordinis & cautionem ruinæ excitatur. Perinde enim est, ac si quis aliquem in pontem collocaret, & comminaretur, quocunque die ecciderís è ponte in profundum, morte morieris, ille verò subtus vel juga pontis & laquearia subverteret, vel ad illud usque præcipitium deduceret, insuperabili manu sustentatum, in quo, nisi sustentetur amplius, certissima ruina futura est, nonne causa lapsus in comminantem redundabit? Interdicti eadem ratio est: De fructu arboris scientiæ boni & mali ne comedas. Sensus est: ego condidi te hominem, iis dotibus, quibus intellectus & voluntas tua imaginem meam habet. Illis quousque utaris, vel non utaris, à meo decreto prædefiniente & concursu prædeterminante pendebit. Cave autem de fructu arboris scientiæ boni & mali ne comedas: ego quidem aliquandiu ita auxilio meo intellectum tuum illuminabo & lumen tibi concrea-

creatum excitabo, voluntatemque tuam gubernabo, eique insitam justitiam & reverentiam mei fovebo, ut non audere vel possis vel velis quicquam contradictorium mihi, neq; contrectaturus sis aliquid, quod ne contrectes imperavi. Idque absoluto decreto meo aliquousque continuabo. Fixi tamen in eodem decreto terminum, imò punctum constitui, in quo desinam dicto modo cum intellectu voluntateque tua concurrere, ubi necessariò comedes de fructu arboris scientiæ boni & mali. Tu autem annitere, ne comedas. Hoc est, nitere contra decretum, calcitra contra stimulum. Atqui, qui vult continuationem abstinentiæ à fructibus arboris vetitæ, is etiam debet velle illum concursus ordinem, quo solo continuatio obtineri potest, aut, si ipse prius subtrahit id, quo maximè nititur ordo, non potest punire propter intermissionem continuationis eum, qui non est autor violati ordinis. Quomodo qui supremæ suæ potestatis usu alicui absolutè & infallibiliter pedes amputaturus est, non potest illi diutius mandare ambulationem rectam, quam pedes relinquere decrevit, neque punire, quod non ambulet rectè, postquam pedes amputavit. Omnium prudentum consensu mandatum de ambulatione recta non obligat amplius, sed expirat, postquam illi, cui mandatum propositum est, pedes resecti sunt. Nam ad ordinem ambulationis rectæ pertinent pedes. Aut sicut, qui sub comminatione atrocissimarum pœnarum obstringit aliquem ad legendum privilegium regni, decrevit tamen aliquo temporis momento & lumen omne subducere, & spiritum animalem, qui in nervos opticos illabitur, eximere, idque invictè & irrefragibiliter, ille, quanquam non potest amplius legere, cui minæ illæ denunciatæ sunt, quia & externo & interno privatus est auxilio, nequaqam adversus eum rectè exequi poterit pœnarum indictarum atrocitatem, quia id, quod ad ordinis integritatem necessarium est, ipse primus subtraxit. Omnium prudentem consensu decretum de legendo expiravit, cum ille lumen subtraxit & spiritus intercluſit vitales. Et si autor ejus ulterius urgeret ad officium legendi, pro tyranno haberetur. Eo certè modo prima sententia Deum nobis sistit, & ita interdictum minasque ejus paradisiacas violat. Posterior autem

sententia vim illarum intactam relinquit, quæ ponit Deum nihil subtraxisse Adamo antecedenter, nec perseverantiam in statu integritatis absoluto intercidisse decreto, sed præter concreata dona, conservasse auxilium, concursum, præsentiamque suam Adamo sine remissione, stante verò illa atque ad efficaciam conservationis operante, Adami voluntatem resiliisse permittente Deo, quia intensiorem auxilij concurrentis gradum, ad quem Deus non erat obligatus, non dispensavit, & jam ad eum repugnantiæ gradum sponte Adamus processit, quem ordinarius concursus reprimere non potuit, non suo quodam defectu, sed quia Adam aliquid de ordine cœlitus constituto subtraxit. Hac enim subtractione posita, jam concursus divinus desiit, qui ad ordinem erat obligatus. Sic igitur ordinis dissipatio non à Deo incepit, sed ab Adamo. V. *Quia* prima sententia ordinem derelictionis divinæ in S. literis nobis expositum in universum invertit. Ordo exponitur 1. Sam. 15, 25. *Quia sprevisti verbum Iehovæ, sprevit similiter te.* Ose. 4, 6. *quia tu scientiam sprevisti, spernam quoq; te.* Esa. 30, 12. Ita ait sanctus Israëlis, *quandoquidem spernitis verbum hoc, confidite autem fraudi & præfractæ vitæ, ac innitimini eâ, idcirco erit nobis iniquitas ista similis ruptura cadentis muri, quæ ventrem faciebat in muro edito, cujus repente momento advenit fractura.* Jerem. 6, 19. *desertio divina & eam secuta pœna vocantur fructus cogitationum Iudæorum, quia ad verba Iehovæ non attenderunt & legem ejus sprevernnt, sive deseruerunt.* Jerem. 31, 37. *Ego spernam totum semen Israëlis propter omnia quæ fecerunt, dictum Iehovæ.* Hiob. 8, 20. *Deus non spernit, aut deserit integrum.* Et cap. 36, 7. *Deus non subtrahit à justo oculos suos.* Et sic Levit. 26, 11. *non fastidiet anima mea vos*, vers. 12. *indesinenter ambulabo inter vos, ac ero vobis Deus &c.* sed vers. 14. *si non auscultabitis mihi, neque facietis omnia mandata mea &c.* v. 17. *opponam faciem meam iratam vobis &c.* Benè CONR. PELICANUS *ad* Os. 4. h. l. *Quidni ergo abjciatur à Domino & contemnatur, qui verbum Domini abjecit, blasphemat, ac abominatur? Vt posthac non solum non sit gens sancta, sacerdotalis populus & regale sacerdotium, ex cunctis electus populus velut peculiaris Deo. Et sicut obliti estis & sprevistis legem Domini Dei vestri, sic ego vestri obliviscor, & non solum vestri, sed filiorum quoque vestrorum non memor ero amplius, & in hunc, quem nunc statum tenetis, nunquam resti-*

Desertio ab homine incipit.

reſtituemini, nunquam. Qui enim ignorat, ignorabitur. Conf. Johann. Cocceium Comment. ad Job. 36, 7. qui ait: *Deum in juſtorum ſalutem vigilantiſſimè excubare & ne ad minimum quidem momentum ab illis oculos abſtrahere &c.* Et ratio ordinis divinæ derelictionis hæc eſt, quoniam ea eſt actus non ſolius liberrimæ divinæ potentiæ, ſed juſtitiæ. Ante ordinem rerum conſtitutum quidem libertimum erat Deo, aliter ex omnipotentiæ & omniſapientiæ beneplacito eundem conſtituere. Poſt conſtitutum eundem ordinem, in quo inſuper imaginem ſummæ ſuæ bonitatis & juſtitiæ cum creaturis communicatæ expreſſit & lucere voluit, jam agit ſecundum ordinem. Ipſe itaque ex liberrima tali diſpoſitione ordinis ſervat ordinem, & perſeverat in diſpenſatione eorum, quæ ordini ex bonitate & ſapientia ipſe conferre debet. Unde ex juſtitiæ jam lege non deſerit, niſi deſerentem, ita ut deſertio ex parte hominis naturæ ordine omninò prior eſſe debeat, poſterior autem deſertio ex parte Dei, quia id, quod cauſam pœnæ dat, prius eſt ipſa pœna, & quod rationem pœnę habet, ſequitur ordine. Atqui ſi antegrediente & prædeterminante decreto Deus dicatur ſubtrahere ſuum auxilium concurrens, & ita ordinem divinitus à ſe conſtitutum deſerere, juſtitiæ & bonitatis divinæ imago ſubvertetur. Plures rationes inferius exponemus.

Ad II. pariter non probat id, quod probandum eſt. Pro- §. 45.
bandum eſt, *voluntatem & auxilium prædeterminans tàm irregenitorum, quàm regenitorum potentias in omnibus actionibus ad entitatem & ſpeciem actionis prælimitare.* Hoc non probatur illa collatione uſus potentiæ regenitorum & irregenitorum. Nam quod ad irregenitos pertinet, illi quidem abſque voluntate & auxilio Dei potentia ſua uti non poſſunt ad omne id, ad quod potentiam habent. Non tamen ſemper id facit Dei voluntas præcurrendo & prædeterminando, ſed concurrendo & ſuum auxilium ad libertatis exercitium diſpenſando. Factum eſt quidem nonnunquam in maximi momenti operibus, ut etiam non regenitorum hominum potentias antegrediente quodam motu determinaverit, præmoverit, & prælimitaverit, ad quæ neq; potuiſſent illæ potentiæ ſeipſas ſine illo extraordinario divino motu determinare, neque unquam perventuræ fuiſſent; attamen ad opera civilia & mora-

moralia' extrinseca, ad quæ libertas aliqua etiam in irregenitis supereſt, non opus eſt ſingulari ſpecificante & limitante voluntatis divinę auxilio, ſed ille concurſus cum potentia humana ſufficiens eſt, qui omnibus & ſingulis hominibus ad naturæ rationalis proportionem ordinatus eſt. Unde etiam poſito illo concurſu poteſt irregenitus agere & non agere: imò poteſt aliter agere, quam concurſus diſpenſatus intendit: reipſa agit contra intentionem concurſus divini & concurrentis Dei, quoties actioni ex concurſu divino profluenti inducit malitiam, eamque fœdat; poteſt plus agere boni virtute concurſus diſpenſata, quam agit: poteſt minus mali eadem virtute agere, quam agit.

§. 46. *Locus Eſai. 10, 11. expenditur.*

Exemplum Regis Aſſyriorum, quod cum Didaco Aluarez Arch. Tranenſi *de Auxil. lib. 3. diſp. 24. pag. 239.* ad prædeterminationem divinam accommodat, probè conſiderandum eſt. Potuit Deus in Rege Aſſyriorum extraordinarias heroicas vires virtuteſque excitare, quibus contra varias gentes expeditionem inſtitueret, victoriis & triumphis pleniſſimam, quibus & Judæos caſtigaret & affligeret duriſſima promeritos. Potuit etiam ita movere cor Regis Aſſyriorum, ut in Judæos citius tardiuſque moliretur bellum. Hæc omnia & juſtiſſimis de cauſis fieri poterant, & Deus nullo ſe peccato immiſcuiſſet, ſi vel maximè iſtos motus in Rege Aſſyrio excitaſſet voluntatem Regis præveniendo & prædeterminando. Non verò neceſſe fuit, ut extraordinario quodam concurſu ita voluntatem Aſſyrij ſtimularet. Potuit ambitio & dominandi libido tanquam ſtimulus magnatibus frequens, itemque potuerunt populorum longè latèque circumjacentium ſive diſſidia, ſive decrementa alia animum Aſſyrij, ſuas copias circumſpicientis, excitare ad molitionem belli. Hic non prædeterminando Aſſyrij conatibus uſus eſt Deus, ſed concurrendo, dirigendo, ordinando. Quod igitur *virga, baculus, ſecuris, ſerra* Domini dicitur Aſſyrius, *non ad modum, ſed ad uſum motionis* pertinet, ad quem reſpexit Deus in reprehenſione graviſſima. Sicut virga, baculo, ſecuri, ſerra aliiſque inſtrumentis utuntur homines, ita etiam Deus uſus eſt Aſſyrio ad ſuam intentionem præter intentionem. Modus motionis omninò diverſus eſt. Modus motionis virgæ, baculi, ſecuris, ſerræ

coactus

coactus quasi est & violentus, sine motarum rerum interna quadam suiipsius applicatione, nec etiam repugnantia: planèque nullus alius finis est moti, quam moventis: & tota forma motionis est à movente, nõ à re mota. Versata est verò voluntas divina circa Assyrij voluntatem jam bella ex ambitione & dominandi libidine molientem. Itaque in sua illa libera motione, concursu suo divino fovit decurrentem, non prædeterminavit. Et in hac divini concursus ad liberam Regis motionem dispensatione Deus magnã admisit repugnantiam. Gloriatus nimirum ille est, tanquam suis Deastrorumq; suorum viribus hæc omnia conficeret, quæ malitiosa planè resistentia est. Quid enim? Anne etiam ad hanc Deus ipsum determinavit, sicut faber lignarius serram suam ad secandum applicat? Finis profectò Regis Assyrij planè alius fuit, quam Dei. Adeoque neque tota forma motionis Assyrij regis est à primo movente: quoniam quam plurima in ea est iniquitas. Neque tantum Rex Assyrij populi, ejusque voluntas, sed etiam cumprimis ejus actiones & molimina quasi instrumentum fuerunt Dei vindicantis malitiam populi sui. His usus est & quomodo voluit & quamdiu voluit. Eaque etiam ratione cum istis organis, virga, baculo, securi, serraque, comparat fastu turgidum Regem Deus summus, ut non solum ipsi demonstret necessariam à se dependentiam in esse naturali, morali & politico, sed ut vilitatem illi suam, in magnis vanissimisque imaginationibus patentissimæ potestatis, ex collatione ad suam majestatem, ob oculos ponat, ad quam comparatus nihil magis dignitatis & facultatis habeat, quam baculus, vel virga, vel securis, vel serra erga opificem, vel alium quemcunque illa usurpantem. Denique docet facilitatem remorandi. Ut enim facillimum est usurpanti virgam, baculum, serram, securimque vel abjicere, vel reponere, vel retundere illa, sic facillimum esse Deo, Assyrium Regem abjicere, seponere, retundere, utut ingentibus intumescat exercitibus. Sed & Rex Assyrius, quod docere tamen vult Maccovius, potentia illa sua non ad id tantum ferebatur, ad quod Deus ipso ceu securi utebatur, sed & ad plura alia sub Deo extendebat molimina, & procul dubio plus boni debuerat

efficere, quam effecerat, & minus mali operari, quam operatus erat. Indicium ejus rei licet capessere ex specul. vitæ Nabucodonosaris, inprimis Dan. cap. 4. vers. 25. 26. 27. & ex iis, quæ occurrunt Zachar. 1, 15. Sic quoque regeniti, etiamsi præter & extra Deum sua potentia ad bene operandum uti non possint, nihilominus possent sub concursu gratioso Dei plus boni facere, quam faciunt, quia cum voluntate Dei consentit, non præter aut extra eam est, si plus boni agere contendant, agantque.

§. 47. Ad III. idem, quod ad superiora dicendum est. Psal. 127. vers. 1. 2. ostendit ex benedictione divina & concursu influxuq; Dei in conatus, studia, actionesque nostras earundem felicitatem promanare & dependere. Non tamen sequitur, per hominem non stare, quo minus plus boni efficiatur & effluat, quam fit, aut plus mali oriatur, quam oriretur, si homo non reniteretur benignitatis summæ fontibus. Ad IV. formula votiva, Jacobo Apostolo doctore in omnibus conatibus nostris usurpanda, non ad prædeterminationem absoluti alicujus antegredientis decreti nos deducit, sed ad divinam benedictionem, directionem, & vitæ ab eo dispensandæ continuationem. Nec tamen sequitur; Ergo præcisè tantum, quantū facimus, voluntas divina nos vult facere: ergo non interdum minus facimus, aut aliter, quam nos Deus vult facere. Ad V. omninò ardenter orandum est, ne permittat nos Deus induci in tentationem. Non tamē exinde fas est colligere, Deum absolutè determinasse, quando & ubi velit permittere, adeòque Deum non minus voluisse permittere, nec plus, voluntate antecedente. Nec illud sequitur; sub permissione divina necessariò hominem in tentationem induci. Cum permissio simplex nil subtrahat, sed sæpe δοκιμασίας gratia fiat, ut audiemus. Ad VI. In pietate planè tantum possumus, quantum Deus, ut possimus, largitur. Sed non tantum facimus, quantum, ut possimus facere, largitus est Deus; idque non retardante Deo & determinante, sed repugnante carne, Galat. cap. 5. v. 17. Rom. 7. v. 16. 19. 20. 21. &c. Deus facit in nobis velle & perficere. Id verò velle & perficere, quod in nobis facit Deus, non semper in tantum prosequimur, in quantum velle & perficere nobis

nobis cohabitat, ut parabola de talento defosso docet, Matth. 25. v. 18. 27. 28. 29. 30. Ad VII. permissio non necessario vel sequitur vel antecedit futuritionem peccati, sed coincidit cum peccati ex voluntate humana parturitione, vel cum ipsius voluntatis agitatione. Neque enim semper posita permissione emergit peccatum. Neque ipsa permissio simplex, quæ est exploratoria & probatoria non rarò, tollit ordinarium concursum Dei. Interim permissio, quæ est judiciaria, sequitur prævisionem peccati. Ad IIX. Robur habituale, quod vocat Tvvissus, quod in regeneratione nobis conceditur, non est otiosum & torpens quiddam ex se, sed lux, ignis, flamma, potentia actuosa & efficax suo modo & loco. Spiritus S. non abest ab illo robore, sed illud fovet & actuat. Et robur actuale, quod Maccovius impropria significatione gratiam actualem vocat, non est necessariò & ordinariè aliquid de novo extrinsecus robori in regeneratione & unione cum Deo superadditum, sed elicitum & excitatum ex illis regenerationis dotibus.

Ad IX. Robur actuale, hoc est, ipsa excitatio gratiæ cœlestis ad actum bonum omninò ducit ad volitionem boni in specie, seu in individuo, sed tamen non infallibiliter & inevitabiliter determinat ad illud. Nam & specifica seu individua illa propositione boni, & excitatione ad bonum data potest tamen resisti & oppositum à voluntate hominis proficisci, aut planè nullus sequi effectus. Sic gratia excitans prævenienſq; in Agrippa affectum amplexandi Christianismum in individuo produxerat. *Actor.* 26, 28 quem tamen Agrippa mundi amore repressérat, imò suppresserat. Benè Henricus Bullingerus Comment. h. l. inquit, *Agrippa eruditissima oratione Pauli velut extra se raptus, palam fatetur, Parum abest, quin persuadeas me fieri Christianum. Fuit hæc vox non verè credentis, sed eatenus verbo assentientis, quatenus vox aures feriens suavitate & evidentia animum sibiipsi rapiebat. Nam quam primum ea cessaverat, redibat ad ingenium.* Melius & expressius Rud. Gualtherus homil. 265. in Acta, pag. 277. *Credibile est, pluribus adhuc causam hanc à Paulo tractatam fuisse, cum Agrippa mox fateatur, se non mediocriter verbis*

§. 48.

Locus Act. 26, 28. expenditur.

illius commotum esse. & post: Alterum auditorum verbi genus videamus, quorum typus in Agrippa Rege proponitur, & eorum est, qui mundo addicti, hujus curis & studio, verbi semen suffocari patiuntur. Nec enim scripturas negare audet, quarum autoritatem divinam & infallibilem esse noverat. Illis præterea convenire videt ea, qui à Paulo dicebantur. Sentit item non obscuros animi motus, quibus, ut in Christi partes transiret, sollicitabatur. Nec id dissimulat, quando se nonnihil persuasum esse, palam fatetur. Quid ergo obstat, quo minus non ultra progressus Christo publicè nomen det? Nimirum (non suspensio roboris actualis submi-nistrationis, ut ait Maccovius) *infelix mundi studium.* Ad X. etiam si absolutè, & ut cursus est Christianismi & pietatis exercitiorum progressus, dici possit, posse hominem plus mali omittere; quam omittit, & plus boni facere, quam facit; non tamen exinde progressus ad perfectionem imperatam, &, quod amplius est, ad supererogationis opera possibilis in hac naturæ humanæ conditione asserendus est. Possunt enim juxta se invicem stare propositiones hæ duæ: Homo post lapsum in hac vita, etiam auxilio superveniente gratiæ, non potest ad perfectam mandatorum Dei observantiam adscendere, multo minus opera supererogationis præstare: & Homo post lapsum in hac vita sub auxilio & concursu divino positus plus potest boni facere, quam facit, & plus mali omittere, quam omittit.

§. 49. Notamus V. actionem, cui homo superinducit malitiam, qua actio est, posse quidem objici voluntati, non tamen ita, ut voluntas divina infallibiliter prædeterminet, limitet & specificet quasi voluntatem creatam ad istam actionem. Quia si actio, cui indivisibiliter & inevitabiliter connectetur malitia, ut actio est, prædeterminatur & prædefinitur à voluntate divina antecedente decreto in voluntate creata, tum voluntas divina erit causa prima & summa ipsius etiam malitiæ. Sumamus exempli gratia odium Dei. Si ad actum odij Dei, qua actus est voluntatis aversantis Deum, per divinam antecedentem voluntatem immutabiliter prædeterminatur, homo ergo Deus erit autor ipsius etiam odij Dei. Ratio est: quia hac ratione divina voluntas non erit tantum *causa*, ut Philosophi loquuntur, *physica*.

Sed

sed etiam moralis. *Physica causa* est, quæ ipsam rem sive entitatem actus producit: *Moralis*, quæ præcipit, consulit & instigat ad actum ipsum eliciendum. *Physica causa* est, quæ realiter influit in actum creatum; *moralis*, quæ moralibus suggestionibus & motionibus ad actum disponit. Si enim Deus causa liberrima liberrimo supremo motu inevitabiliter prædeterminat voluntatem creatam *ad omnem actionem materialem odij sui*, cum omnibus circumstantiis temporis, loci, modi, graduum, adeoque motum qua motus est *ad tendentiam* contra legem Dei *sub hoc & nunc* prædefinit, omninò etiam *causa moralis* erit ipsius Deus. Inter causas enim morales illa est præstantissima, cui potissimum imputatur effectus, quæ liberrima efficaci voluntate directè expresèque aliquem vult effectum, imò omnia media adhibet, quæ ad illum requiruntur: inprimis quando à nullo superiori aut ulteriori principio, sed à seipso ad istius effectus procurationem & productionem determinatur. Taliter autem se habet ex sententia Triglandij Deus opt. maximus in productione materialis actionis odij Dei. Quapropter & moralis causa actionis materialis, exempli gratia, odij Dei, ipse Deus dicendus erit. Sicut enim nullo modo moralis causa actionis malitiæ dici potest Deus, cum dicitur circa peccatorum actiones solum præbere concursum, ordinatum & proportionatum humanis actionibus liberè eliciendis, imò inclinantem ad bonum & à malo retrahentem, sed & juxta permittentem, ut optimo divino suo concursu abutantur homines, eumque detorqueant ad malas actiones: hoc enim pacto ex parte Dei nulla in effectum illabitur prædeterminatio, cum directa & primaria Dei intentio, quantum ex se est, voluerit, ut nunquam existeret talis contra legem suam oppositio, tale actuale Dei odium; sic ex adadverso Deus moralis causa necessariò constituitur, si ipse *à seipsa proficiscente prædefinitione & prædeterminatione* efficaciter producit materialem actionem odij adversus ipsum exurgentis. Effectus sanè primariæ causæ, prædeterminanti ad illum, imputandus est potius, quam secundariæ causæ, quæ non operatur, nisi determinata per aliam causam. Et licet illa materialis

actio odij Dei non imputetur Deo, tanquam, ut sic loquar, volitio Dei *constituens illum formaliter inimicum sui ipsius*, imputatur tamen Deo, velut effectus *directè & liberè* intentus, productus & prædeterminatus ab ipso, & quidem jure potiore, quam incendium imputatur homini, si eo fine ignem admovet. Deus enim altiori & efficaciori modo prædeterminat creatam voluntatem ad istum affectum tam monstrosum in se & contrarium legi divinæ. Nonne enim Deus, cum inevitabiliter & absolutè prædeterminat voluntatem creatam reali & irresistibili influxu in eandem, ad materialem actionem odij Dei, eo ipso instigat, allicit, excitat, inducit, inclinat & movet eandem, ut illam actionem eliciat. Neque enim solum *illo reali influxu prædeterminante* à Deo voluntas creata *immediatè* instigatur, incitatur, & movetur ad actionem naturaliter consideratam, sed etiam *mediatè* alio quasi quodam morali influxu suggestionis & suasionis. Nam isto influxu objectum etiam taliter & in illis circumstantiis objicitur intellectui & voluntati, quo non aliud quam odium erga Deum concipere homo potest. Et tanto quidem fortius causat odium Dei moraliter, hoc est, proponendo objectum *Deum aversabilem constituens*, quanto magis intrinsecè illabitur in radicem voluntatis & intellectus, quam quævis alia causa exterius adventans. Estq; ille prædeterminans illapsus Dei in voluntatem humanam plusquam connatum aut concreatum præceptum, quoniam illi resisti nequit. Jam si Deus non tantum physica, ut vocant, causa est materialis actionis odij Dei, sed etiam moralis, erit etiam causa physica & moralis ipsius malitiæ, quæ est in odio Dei. Nam malitia peccati cujusvis, & ita etiam odij Dei, non potest directè & immediatè produci ab ulla causa, sive creata sit, sive increata. Non igitur alia ratione producitur, quam causando actionem, quæ *in formali sua ratione & ex terminis à quo & ad quem æstimata* realiter repugnet legi Dei, unde necessariò sequitur malitia. Autor ergo & causa, cui malitia imputanda, non potest esse nisi ille, cui tanquam autori & causæ morali actio tribuitur, quæ intrinsecè realissimèque repugnat legi Dei. Et immotum manet hoc principium: *Quicquid*

quid est causa moralis, ut actio talis existat in rerum natura, est etiam causa moralis malitiæ, quæ talem actionem necessariò & inseparabiliter consequitur. Quæ enim causa primariò causam secundam determinat & restringit, ut ab illa existat materialis actio odij Dei & tota illius realis oppositio cum lege Dei, illa etiam est primaria causa determinans primariò causam secundam, & præstringens, ut ab illa existat malitia, quæ inseparabiliter & necessariò consequitur talem actionem. Huic igitur erit etiam imputandum, quod causa sit, ut existat malitia, ac proinde erit causa mali illius. Nonne enim & creata voluntas non alia ratione causa moralis est malitiæ, quam quatenus est causa moralis illius materialis actionis contrariæ legi divinæ, ad quam malitia necessariò & inseparabiliter consequitur. Quare & Deus erit moralis causa ipsius malitiæ necessariò consequentis, si est causa non solum prædeterminans, sed proinde etiam moralis ejusdem actionis materialis. Quæ omnia sunt quidem per se absurdissima, quia tamen ex tuis tuorumq; hypothesibus, de absoluta prædeterminatione à causa prima in voluntates creatas, inevitabiliter & perpetuo in omnibus actionibus influente, promanant, evertunt & illud tuum theorema, quod ex puriori theologia, Triglandi, depromsisti: Voluntatis divinæ objectum esse duntaxat actionem, non autem ipsam malitiam.

Tres enim modi sunt, quibus actionem peccato infectam à Deo esse & voluntati divinæ objici posse concipi potest. Prima si spectes exteriorem actionem in peccato occurrentem, sicut in peccato Adami fuit motus manus ad arborem, decerpens fructum orique ad movens. Illa, secluſa denominatione extrinseca, quam habet ex imperio voluntatis creatæ, deflectentis, tota ad Deum referri potest. Deinde, si spectes rationes cõmunes actionis interioris, quales sunt volitio, ut ens est habens bonitatem transcendentalem, volitio ut volitio est, habens bonitatem vitalem, volitio ut ad comestionem præcisè tendit, quæ est conservationi hominis necessaria & bonum debitum. Illæ omnes referri possunt ad voluntatem divinam. Tertiò, si spectes specificam rationem actionis interioris, quæ intrinsecè & realiter contra-

trariatur legi divinæ & sanæ rationi: ut in Adamo fuit desiderium tanta æstimatione prosequens bonum apparens comedendi fructum interdictum & habendi similitudinem cum Deo, ut illud antepoſuerit voluntati divinæ præcepto explicatæ, quam sciebat conculcari. In duobus prioribus periculum assignationis & reductionis in Deum nullum est, dum modò caveatur, ne dicatur Deum ad istas sive exteriores sive interiores actiones præmovisse & præincitasse, sive objectivè sive effectivè, sic enim omninò causa peccati foret. Addatur etiam, Deum ex benignitate suæ dispensationis magis inclinare, ut ille cõmunes rationes applicentur à voluntate inferiori non ad repugnantes, sed complacentes Deo particulares actiones. In tertio modo confusionis periculum summum, ubi cavendum, ne prædeterminatio ad istas particulares actiones Deo adscribatur, ne ex intentione divina istas rationes elici dicamus; ne actus speciem Deo ut causæ assignemus: ne asseramus, Deum esse causam, ut hic vel ille actus sit materiale peccati & fundamentum malitiæ: vel Deum facere id, unde actus habet, ut sit fundamentum malitiæ, vel ex influxu Dei provenire, ut actus sit talis: vel Deum facere actum sub ea ratione, qua necessariò infert deformitatem & malitiam. Distinguamus positionem concursus & ordinis divini, qua adest ex lege & pacto dependentiæ creaturarum à se & se dispensat, ab abusu & quasi raptu illius ad deformitatem & malitiam, qua se subducit & opponit concurrentis Dei intentioni voluntas creata deficiens. Sed de his in seqq. plura dicenda sunt.

DE VO-